



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

Stephani Baluzii Tutelensis Notæ Ad Concilia Galliæ Narbonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646



STEPHANI BALVZII
TUTELENSIS
NOTÆ
AD CONCILIA
GALLIÆ NARBONENSIS.

CONCILIUM PORTUENSE.

ALICQUAM istius Portuensis synodi notitiam, sed valde parvam, habuerat, qui in his studiis summa cum laude se exercuit, Jacobus Sirmondus, clarissimum seculi nostri lumen & ornamentum; ut patet ex his quæ ipse notata reliquit ad Concilium habitum apud Juniarias in diœcesi Magalonensi. Nos igitur magno viro fuimus feliciores, qui synodum integram nacti sumus in vetustissima membrana quæ extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Et Sirmondus quidem viderat haud dubiè exemplar fragmenti istius Concilij ex Chartulario Narbonensi folio xxxviii. ubi hæc tantùm habentur: *Il-lufrante gratia sancti Spiritus corda fidelium, con-*

STEPHANI BALVZII

2
*ventus factus est Episcoporum sanctorum apud Ne-
 mausensem pagum, in loco qui Portus cognomi-
 natur, in Ecclesia sancta Dei genitricis Mariae, anno
 ejusdem Domini nostri Iesu Christi DCCCXCVI.
 XIII. Kal. Mai, Indictione xv. residente vero in
 eodem Concilio magnificentissimo Pontifice primo
 Narbonensis Ecclesiae Arnusto. Hac ibi de synodo
 Portuensi. Tum statim absque ulla distinctione se-
 quitur: Dispositione arcerfisi &c. Quae pertinent
 ad synodum Magalonensem apud Iunquarias.*

AGILBERTO BITERR.] Mirum est hunc
 Episcopum Biterrensem heic Agilbertum vocari, &
 in subscriptionibus Tructarium. Hac enim acta sunt
 admodum vetusta, sed tamen non puto esse au-
 thentica. Itaque oportet erratum heic esse a libra-
 rio, aut Episcopum illum fuisse binominem. Nam
 quod aliqui Reginaldum medium collocant inter
 Agilbertum & Tructarium, huic conjectura non
 officit; cum Reginaldus hinc removendus sit, qui
 post annum demum DCCCXCVII. ad eam cathedram
 pervenit, ut dicitur in Notis ad Concilium Ma-
 galonense.

SERVO-DEI GERVND.] cujus crebra pal-
 sim ac nobilis est memoria per illas tempestates,
 & ad quem data reperitur epistola Romani Pape
 nondum edita. Quod autem Episcopus provinciae
 Tarraconensis interest synodo provinciae Narbo-
 nensis, hinc factum, quod cum Tarraco, provin-
 ciae metropolis, esset in potestate Sarracenorum,
 maxima pars provinciae, tota nimirum illa pars
 quae citra Rubricatum habitatur, provinciae Nar-
 bonensi adjuncta fuerat quantum ad res ecclesia-
 sticas, cum Regibus Francorum optimo jure pare-
 ret quoad civiles, ad eorumque regnum pertineret.
 uti diximus in dissertatione de episcopatu Egareti

NOTÆ.

fi, & in Notis ad Concilium apud Narbonem habitum sub Karolo Magno. Itaque passim in synodis Gallicanis per ea tempora celebratis reperias nomina Episcoporum Vrgellensium, Gerundensium, Barcinonensium, itémque Aufonensium, postquam Aufonensis Ecclesia fuit restaurata. De qua restoratione dictum est in Notis ad Concilium illud Narbonense cujus mox meminimus; atque iterum de ea agemus ex professo, cum occasio erit edendi Concilij apud Barcinonem habiti anno DCCCCVI.

MON. S. LAUR.] Erat monasterium illud in potestate Archiepiscopi Narbonensis jam inde à temporibus Ludovici Balbi Regis, cujus auctoritate unitum est Ecclesiæ Narbonensi; ut patet ex Præceptis Karlomanni Regis & Karoli Simplicis, quibus patris donationem confirmant. Nam Ludovici Præceptum hodie non extat. Tandem ea abbatia redacta est in prioratum undecimo Christi seculo, ac monasterio Crassensi unita; ut docent acta Concilij quod Dalmatius Archiepiscopus habuit apud Narbonem anno M XC.

MONAST. S. MARIÆ] id est, Crassensi, quod antiquitus Urbionis dicebatur, sito in confinio Narbonensi & Carcassonensi, ut loquitur Karolus Magnus in Præcepto de confirmatione donationum huic monasterio factarum.

COCONÉ] Locus est haud procul Montepessulano, retinens etiamnum hodie nomen. Ecclesiam verò Coconis Capitulo Magalonensi univit Gothofredus Episcopus Magalonensis circa annum M LXXX. ut fidem facit vetus carta à Gariello edita in historia Episcoporum Magalonensium. Ecclesiæ Cauconis, sive Coconis, rursus mentio extat in literis Galteri Episcopi Magalonensis & in literis

NOTA.

non annum DCCCXCIV. præscriptum habent, sed
 annum DCCCXCVIII. Verùm cum Indictio duodeci-
 ma, quæ in iisdem memoriis adnotata est, non con-
 grueret huic annorum numero, quæ in annum po-
 tius DCCCXCIV. incidebat, facilè sibi persuaserunt
 mendum heic esse, pròque DCCCXCVIII. legendum
 esse DCCCXCIII. demptâ literâ V. quæ quinarium
 numerum superaddebat. Indictio porro duodeci-
 ma, quæ causâ errandi fuit, incidit omnino in annum
 DCCCIX. Præterea Gimera nondum erat Episco-
 pus Carcassonensis anno DCCCXCIV. nondum Re-
 gnardus ad Biterrensem cathedram pervenerat, ne-
 que Gerardus ad Agathensem, non Ugbertus ad
 Nemausensem, non denique Guntarius ad Magalo-
 nensem; ut patet ex Concilio apud Portum habito
 anno DCCCXCVI. Nam huic Portuensi synodo in-
 terfuisse reperiuntur alij sedium illarum Episcopi,
 quos ante istos vixisse patet ex Concilio habito anno
 DCCCXVII. apud monasterium sancti Tyberij in
 diœcesi Agathensi, & ex Concilio apud Fontem
 coopertam in diœcesi Narbonensi congregato anno
 DCCCXI. Ut nullus jam sit dubitandi locus quin
 Concilium istud Magalonense revocandum sit ad
 annum nongentesimum nonum.

.....RIAS VOCATO] Sirmondus legit
Juniarias, fortè vitio librariorum, cum scriben-
 dum esset *Iuncarias*, facili typographorum errore.
 Sic enim legendum esse admonet Gariellus, de hac
 modo agens, in Serie Præsulum Magalonensium
 pag. 91. Hunc enim locum, qui Junquieres hodie
 sive Joncerum dicitur à juncorum inibi silvescen-
 te copia, ut in humo uda & palustri, amplissimo
 quondam templo, quod sancto Vincentio sacrum
 est, vicinia tota percelebrem fuisse, donec furen-
 te Calvinistarum bello dirutum fuit. Hujus tamen

adhuc templi magnifica rudera extare, fornicis porro, qui olim fuit, proceritatem è mira fenestrarum altitudine aestimari, reliqua cum affabre structa, tum gradariae praesertim cochleae concinnum architectonices & elaboratum esse opus. Ecclesiam sancti Vincentij de Junqueriis monasterio Casae-Dei donavit Gothofredus Episcopus Magalonenfis circa annum MXC. ut fidem facit idem Gariellus pag. 122. Quod donum confirmatum est à Galthero Gothofredi successore literis quae extant apud eundem Gariellum pag. 136. in quibus disertè scriptum est *Ecclesiam sancti Vincentij de Junqueriis*. Ut nullus deinceps sit dubitandi locus quin pro *Iuniarias* scribendum sit *Iunquarias*, ut habetur in fragmento istius Concilij quod supra retulimus ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

REGNO SEPTIMANIAE] Hujus regni mentionem facit etiam Karolus Calvus in Praecepto dato in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam anno DCCCXLIV. quod extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis, ubi haec leguntur: *Notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus & nostris presentibus atque futuris quia quidam fidelium nostrorum REGNI SEPTIMANIAE, vassus noster nomine Teodtfredus &c.* Item in Praecepto dato in monasterio sancti Dionysij anno DCCCLXVIII. quod habemus ex archivo monasterij sancti Petri Rodensis in diocesi Gerundensi: *Concedimus memorato fideli nostro Odoni vasso praedicti fidelis nostri Otgerij quasdam res juris nostri sitas infra SEPTIMANIAE REGNUM in pago Russilionense.* Istius porro regni hos limites fuisse existimo, quicquid videlicet à Carcassone intercipitur inter mare mediterraneum, Rhodanumque, & montes Pyrenaeos; ita ut non solum diocesis Helenensis

quæ pars est Galliarum, esset intra hos limites, sed etiam diœcesis Urgellensis ex provincia Tarraconensi. Ac de diœcesi quidem Helenensi nullus est dubitandi locus, quandoquidem, ut diximus, pars Galliarum est. Attamen si quis etiam probationes in hoc requirat, facilè exhibebimus. Nam & Præceptum Karoli Calvi quod retulimus ex archivo sancti Petri Rodensis, Comitatum Ruscinonensem, cujus iidem sunt limites qui & diœceseos Helenensis, in regno Septimaniæ fuisse docet. Deinde Lotharius, Ludovici Pij filius, in Præcepto dato anno xxi . imperij Ludovici Pij, quod extat in Chartulario Ecclesiæ Helenensis, Ruscinonensem pagum in Septimania esse scribit. Tum, Comitatus Vallis-Asperi, qui resectus est à Ruscinonensi, Septimaniæ quoque accensetur in Præcepto Ludovici Pij dato anno xx . imperij ejus, quod extat in eodem Chartulario Ecclesiæ Helenensis. Et in Constituto de monasteriis regni Francorum, quod à Sirmondo primùm, dein à Duchesnio editum est, inter monasteria quæ anno $dcccxvii$. censentur in Septimania, disertè nominatur *monasterium Valle-Asperij*, id est, monasterium Arularum in Comitatu Vallis-Asperiensis. Diœcesim porro Urgellensem, quæ tum, ut maxima pars provinciae Tarraconensis, Regibus Francorum parebat, partem Septimaniæ fuisse ostendunt Præcepta Ludovici Pij & Karoli Calvi quæ extant in archivo Ecclesiæ Urgellensis, quæ vidimus authentica. Nam Ludovicus ornans privilegiis monasterium sanctæ Gratiæ in ea diœcesi constructum, ait postulatum à se fuisse ut *ita monachi vel res ibidem pertinentes nostri proprij essent sicut cetera monasteria infra Septimaniam nostra esse constant*. Karolus autem in Præcepto de confirmatione bonorum ac privile-

giorum Ecclesiæ Urgellensis, ait inter cetera: *Præterea concedimus eidem sanctæ sedi, ut sicut alia Ecclesia Septimania, ita quoque eadem et rectores ejus semper habeant tertiam partem telonei de omnibus illius parrochia merchatis.* Præterea, Comes Palliarensis, quæ pars est diœceseos Urgellensis, in Septimania esse dicitur in actis anno xi. imperij Ludovici Pij confectis, quæ extant in archivo Ecclesiæ Urgellensis.

SUNIARIUM COMITEM] filium Vvifredi pilosi Comitis Barcinonensis, ut ego quidem arbitror. Iste verò fuit primus Comes Urgellensis, & Selvam Ecclesiæ Urgellensis pervasorem foverat adversus Ingobertum Episcopum. Quam ob rem excommunicatus fuerat in synodo Trecenti Stephani VI. Papæ, & in pluribus synodis Galliæ Narbonensis. Ac licet Ingobertus sedem suam recepisset, eique Nantigifus canonicè substitutus fuisset, adhuc tamen Suniarius durabat in excommunicatione. Tandem in se reversus, veniam petiit, nimirum in hac synodo Magalonensi.

PARICONSILIUM] unica dictione, id est præsentibus nobis in synodo, qui in commune consulere debemus, si quid alicujus momenti ingruat intra provinciam. Huc enim referenda est significatio hujus vocis; & istud, par consilium vocant Patres Concilij Andegavensis habiti anno cdlv. tum in præfatione, tum etiam in fine canonum. Pro quo parem consultum dixit Frotarius Episcopus Tullensis in epistola x. quæ data est ad Drogonem Episcopum Metensem, & parem consensum Ludovicus Pius in epistola ad Sicharium Archiepiscopum Burdegalensem.

FOROIULENSIS] in secunda Narbonensi Episcopi enim illius tractus frequenter per ea tem

N O T A.

pora conveniebant ad synodos Episcoporum primæ Narbonensis. Is porrò Benedictus interfuit etiam Concilio celebrato apud Fontem-coopertam anno DCCCXI.

Q U E R I M O N I A.

I STAM Berengarij Vicecomitis Narbonensis adversus Guifredum Archiepiscopum Querimoniam Gallicè vertit vir clarissimus Guilielmus Catellus Senator Tolosanus, eamque sic versam edidit in pagina 575. Memoriarum Historiæ Occitaniæ. Nos verò eam, ut proposita est, reperimus in veteri membrana quæ extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis, innumeris illam quidem, ut ita dicam, solæcismis fœdatam, ut ferebat illa ætas, sed quæ simplicem ac minimè fucatam veritatem ubique spirat, adeoque etiam propter hos nævos nobis debet esse venerabilis. Nota est celeberrimi viri Cæsaris Cardinalis Baronij prudens admonitio, qui in simili causa retinendos putavit solæcismos ac barbarissimos. *Nam sciendi curiositas* (inquit ille ad annum M X I X. §. v.) *quæque aspera condiens, suavia reddit.*

De tempore porrò quo Querimonia isthæc proposita est, video non unam esse omnium sententiam. Nam aliqui putant actum id esse anno M L X V I. & quidem in Concilio apud Narbonem habito, decepti, opinor, auctoritate quorundam aëtorum illius anni quorum mentio extat apud Catellum in pag. 582. & 781. earundem Memoriarum, quæ verò docent graves tum controversias fuisse inter Archiepiscopum & Vicecomitem. Sed ego ut aliter sentiam faciunt multa. Nam ista Querimonia prolata fuit coram Legatis Summi Ponti-



ficus, præfente Raimbaldo Arelatenfi Archiepifcopo; & quidem vivente Papa Victore, ut ego quidem arbitror. Scimus autem Legatos ejuſdem Victoris, Raimbaldum Arelatenſem & Pontium Aquenſem Archiepiſcopos, ſynodum in Tolofana urbe celebraviſſe anno MLVI. cui interfuit Guifredus Narbonenſis Archiepiſcopus. Deinde, hæc Querimonia habita eſt in ſynodo cui Lodoventis & Helenenſis antiſtites affuerunt. Iſti verò Epifcopi in eadem Tolofana ſynodo præſentes fuerunt. Denique, ſi poſt mortem Victoris iſta acta ſunt, cui Berengarius ſolum Victoris anathema commemorat adverſus Guifredum, quem ex Gregorij VII. teſtimonio conſtat à multis Romanis Pontificibus excommunicatum fuiſſe? Haud dubiè valuiſſet iſtud augendam ad invidiam, præſidiâque magna in cauſam Berengarij inducere poterat. Sed videlicet Guifredus à nullo hætenus Romano Pontifice excommunicatus fuerat quàm à Victore. Ergo Berengarius, cum à Guifredo excommunicatus fuiſſet, neque animum ejus flectere poſſet ad concordiam, haud ſpernamdam occasionem ratus, Querimoniam ſuam cenſuit deferendam eſſe ad tam celebrem Epifcoporum conventum, cui præter Legatos Papæ Victoris, intererant etiam XIX. Epifcopi ex diverſis provinciis Gallicanis. Itaque dubium mihi non eſt quin hæc acta fuerint apud Tolofam anno MLVI. Et puto revocatam inter eos concordiam auctoritate & induſtria Legatorum.

QUASI P. ALO. H. PATERNA] Ea fuit quorundam ſeculorum deſſenda calamitas, ut beneficia eccleſiaſtica in laicorum poſſeſſione eſſent, & cum hereditate tranſirent ad heredes, interque illos dividerentur velut cetera bona paterna, tum etiam venderentur; ut obſervatum eſt

ad librum Agobardi de dispensatione ecclesiasticarum rerum cap. xv. Nullus autem in laicis illis pecuniæ cupiditatîsve modus erat ; ad se cuncta trahebant , nec solùm decimas , sed etiam ipsas fidelium Christianorum oblationes. Quin eò usque processerat scelerata audacia , ut mulieres altaribus adstarent , & plerunque ipso oblationis tempore coram omnibus acciperent quod offerebatur. Quod vix credibile esset , nisi luculentum istius rei testimonium extaret in veteri Chartulario Ecclesiæ Cadurcensis. His malis excitati viri pij , ac præsertim ecclesiastici ordinis homines , Ecclesias & Altaria redimebant de manu laicorum , numerata pecunia. cuius rei innumera suppetunt testimonia. Verùm animadverto necessariam in hoc fuisse visam interventionem auctoritatis Episcoporum , quasi purgarent vitium simoniæ quod in redemptione beneficii ecclesiastici committebatur. Extat enim insignis epistola Fulberti Carnotensis Episcopi , hætenus inedita , ex qua discimus monachos Majoris-monasterij Turonensis , cùm Ecclesiam quandam in diocesi Carnotensi sitam acquirere vellent , ad Fulbertum accessisse , humiliter deprecantes ut Ecclesiam illam eis emere emptamque possidere in perpetuum concederet. Et facillè assentiebantur Episcopi , quòd intelligerent nullam , si canonicis regulis sua auctoritas servaretur , laicis de ecclesiasticis rebus disponendi attributam esse potestatem. Eo pacto paulatim ecclesiastici redditus ad Ecclesias redire , non tamen integrè. Hætenus enim multis in locis decimæ , quas vocant infeodatas , à laicis possidentur velut alodia paterna.

FRATRIS SUI GUILLIELMI] Contigit
istud circa annum Christi millesimum quadragesimum primum. Nam Heribaldus Episcopus Urgel-

lensis vivebat adhuc anno **MXL. XV.** Kal. Octobris, ut patet ex Chartulario Ecclesiæ Urgellensis. Guilielmus autem Episcopus Urgellensis, Heribaldi successor, interfuit Concilio Narbonensi anno **MXLIII. XVI.** Kal. Aprilis. Fortassis ergo id actum anno **MXLII.** vel initio anni **MXLIII.** cum statim dicat Berengarius Guifredum Archiepiscopum congregasse Concilium non modicum apud Narbonem haud multò post quàm Guilielmum locaverat in cathedra Urgellensi, & huic Concilio interfuisse Raimbaldum Arelatensem Archiepiscopum. Raimbaldum porrò interfuisse Concilio Narbonensi, de quo mox dicebamus, docent acta illius Concilij quæ extant in archivo monasterij Cuxanensis. Nisi si istud Concilium interpretemur illud quod in eadem urbe Narbonensi habitum est à Guifredo Kalendis Augusti ejusdem anni, cui etiam interfuit Raimbaldus; ut fidem faciunt veteres schedæ hæctenus ineditæ.

COMMENDAVIT SE MANIBVS) id est, homagium & fidelitatis juramentum præstitit Comitissæ Urgellensi, manibus nimirum positis inter manus ejusdem Comitissæ, ut mos est homagiorum, & haud dubiè genu flexo. Quod est infra dignitatem Pontificis, ut is cui omnis terra caput inclinatur, provolvatur ad genua mulieris, cunctaque homagiorum solennia apud illam exequatur. Puto autem homagium ab eo præstitum pro terris quæ sibi testamento patris donatæ erant, quod à viro clarissimo Domino Luca Dacherio editum est in tomo sexto Spicilegij.

TREGVAM DEI] Actum istud in Concilio habito apud Narbonem anno **MLIV. VIII.** Kal. Septembris, quod à nobis editum est in tomo primo de concordia sacerdotij & imperij.

ANATHEMATIZATUM] nimirum in Concilio Florentino, quod à Papa Victore II. habitum fuerat anno superiore. Cui Concilio interfuisse cxx. Episcopos docet hic locus. Ad eam porrò Guifredi Narbonensis excommunicationem respexisse videtur Gregorius VII. dum hæc in Concilio Romano fanciebat anno MLXXVIII. *Renovamus etiam excommunicationem à predecessoribus nostris factam super Guifredum Archiepiscopum Narbonensem, & absque ulla recuperationis spe ab episcopali officio eum submovemus.* Ceterùm, quod heic legis *anathematizatum*, pro *anathematizatum*, error fuit typographi. Nam vetus membrana habet *anathematizatum*.

NULLUS IBI BAPTIZETUR] Durum istud ac valde inhumanum, & prorsùs contrarium regulis ecclesiasticis, quæ tempore interdicti servant locum humanitati, concedentes baptisma parvulorum, pœnitentias morientium, viaticum in exitu mortis, sepulturam Clericorum, pauperum, peregrinorum, & infantium à bimatu & infra, benedictiones nuptiales, purificationes mulierum, prout in variis regionibus regulæ variant. In universum tamen affirmare licet, tempore interdicti permissum fuisse baptisma parvulorum, itémque pœnitentiam morientium. Vide cap. *Inquisitioni tuæ.* De sentent. excommun.

LUTEU. ET HELEN.] Hos videlicet locupletissimos testes nominat Berengarius, quòd in synodo adessent, adeoque eorum testimonium facile haberi posset. Ex quo etiam confirmatur opinio nostra de tempore quo Querimonia isthac habita fuit. Nam Rostagnum Lodovensem Episcopum & Arnaldum Helenensem interfuisse Concilio Tolosano anno MLVI, fidem faciunt acta quæ ex-

tant apud Cardinalem Baronium, itémque codex MS. monasterij Rivipullensis in Catalonia.

SYNODUM ARELATI] Haud dubiè synodus quæpiam apud Arelatensem urbem celebrata est per eas tempestates, cujus nulla nunc alibi, quod sciam, memoria superest.

NISI LIGATUS] id est, nisi ei vis adhibeatur. Nam sponte non ibit. Notat autem contumaciam Guifredi Archiepiscopi: qui Papæ Victoris anathema insuperhabens, non ferebat se proanathematizato, ac nihilo minùs episcopale munus exequabatur. Et videbimus in tempore magnas eum molestias exhibuisse sequentibus Pontificibus, ac præcipuè Gregorio septimo, qui vehementer & severe adversùs illum incanduit in epistola scripta ad Berengarium Episcopum Gerundensem, Guifredi fratrem germanum. Nam Gregorium offenderat nimis pertinax & obstinata Guifredi contumacia. De hoc enim tantùm agitur in illa epistola, non autem de hæresi Berengarij Andegavensis Archidiaconi, cui favisse Guifredum falso putavit Cellus. Sed hæc non sunt hujus instituti; & alibi commodior erit de his agendi locus, cum edemus acta Concilij quod apud Bisuldunum in diocesi Gerundensi habuit Amatus Oloronensis Episcopus anno MLXXVII.



CONCILIUM NARBONENSE

Habitu anno MXC.

GUILIELMUS Catellus Senator Tolosanus
 istius Concilij mentionem facit in pagina 785.
 Memoriarum Historiæ Occitaniæ : qui tamen in eo
 fallitur, quòd habitum illud scribit die xx. mensis
 Aprilis. Nam ex actis constat habitum fuisse XIII.
 Kal. Aprilis, id est, die xx. mensis Martij. Qui er-
 ror imposuit etiam Sammarthanis.

Dalmatius Narbonensis Archiepiscopus, qui
 conventui præsidebat, fuit magnus vir per illas
 tempestates, ausus se opponere proceribus regionis,
 qui pro more tum ubique recepto beneficia eccle-
 siastica & jure hereditario possidebant, & veluti jure
 publico, ac si licitum esset quod publicum est, eme-
 bant palam ac vendebant. Itaque suburbanas qual-
 dam Ecclesias, à simoniacorum manibus ereptas,
 monasterio Massiliensi subjecit; ut ex actis illius tem-
 poris constat, quæ extant in archivo Archiepiscopi
 Narbonensis. Eadem calamitas diù exercuit Eccle-
 siam ipsam Narbonensem, ut colligitur ex epistolis
 Gregorij VII. & ex Querimonia Berengarij Vice-
 comitis Narbonensis adversùs Guifredum Archie-
 piscopum Narbonensem, quæ suprâ edita est. Nam
 per multum ævi Vicecomitum Narbonensium ea
 fuit auctoritas, ut non alios ferme Pontifices ha-
 beret Ecclesia Narbonensis, quàm quos dedissent
 Vicecomites. Itaque cùm post mortem Guifredi ea
 sedes vacaret, Berengarius Vicecomes, ille inquam
 Berengarius qui in Tolosana synodo vehementissimè

declamaverat adversus simoniacos ecclesiasticarum. que regularum contemptores, Dalmatij electionem, quæ rite ac secundum canones celebrata fuerat, turbavit, ut fratrem suum Petrum illo in loco atque in hac celsissima sede dignitatis atque honoris collocaret. At non ea Dalmatio mens. Sed ut fuit illi viro magnus erectusque animus & infixus in reverentia & auctoritate canonum, potentiam procerum opponendam putavit Gregorij VII. Romani Pontificis potentiam, qui tum inter præcipuas laudes suas hoc assumpserat ut veterem disciplinam revocaret, & nundinationem illam rerum ecclesiasticarum aboleret. Ad hunc ergo accedens Dalmatius, primum electionem suam approbari procuravit, literasque reportavit ad proceres Galliarum Narbonensis adversus Petrum pervasorem Ecclesiæ Narbonensis, jam antea depositum in Concilio quod apud Tolosam habuerant Legati Papæ Gregorij. quam depositionis sententiam in Romana synodo confirmavit idem Gregorius anno M L X X X I. Itaque prævaluit electio Dalmatij.

EXEMPTA AB O. IUR. EPISC.] Per illa tempora Episcopi ægrè ferebant exemptiones quas Romani Pontifices concedebant monasteriis, júsque commune sanctum illibatúmque debere esse contendebant. Ea Dalmatio mens, ea cura, ea sollicitudo, ut in his actis videmus. Sic in synodo apud Ansam in pago Lugdunensi habita anno M X X V. pronuntiatum est privilegium quod à Romano Pontifice concessum erat Cluniacensibus, cujus auctoritate monachi illi subtrahebantur jurisdictioni proprii Episcopi, non esse ratum, eò quòd canonicis non solum non concordaret, sed etiam contraireret sententiis, id est, Concilio Chalcedonensi, cujus ea de re canon in Ansa

synodo relectus est. Posteriorum temporum monachis sufficere visæ non sunt exemptiones. Etiam in episcopalem jurisdictionem invaserunt. Eo nunc jure utimur.

DEBITAM SUBIECTIONEM] Istud quoque disciplinæ caput graves tumultus excitavit in variis regionibus. Nota est contentio quæ ob hanc causam fuit inter Ivonem Episcopum Carnotensem & Goffridum Abbatem Vindocinensem. Nolo renovare antiquatas veterum temporum querelas. Illud tantùm dicam, graviter ab Innocentio Papa II. increpitum fuisse Abbatem sancti Vandregisili, qui Rothomagensi Archiepiscopo, suo nimirum diæcesano, professionem facere contemnebat, adeoque propter hanc causam divinum sacramentum, id est, benedictionem, nondum susceperat. Hunc ergo, quandiu absque benedictione esset, vacuum vas esse ait Innocentius, & nomen Abbatis cassum gerere & inane. Iubet deinde ut & benedictionem suscipiat, & quod stricti juris ratio postulat, Prælato suo irrefragabiliter obedire ne differat. Tum in epistola scripta ad Henricum Regem Anglorum, cujus studiis Abbas ille attollebatur, ait Abbates & reliquos Clericos nec gratum Domino famulatum impendere nec animarum suarum saluti posse providere, immo acephalos, id est, sine capite, reputandos esse, nisi Episcopis suis & Prælati debita fuerint humilitate subjecti. Aureas porro illas Innocentij epistolas, quæ sedis apostolicæ Pontificem valde decent, debemus diligentiam viri optimi & eruditissimi Domni Luca Dacherij, qui illas ex codice MS. Beccensis monasterij edit in appendice ad Guibertum de Novigento pag. 689. Et nos quoque illas nacti sumus paulò emendatiores in verustissimo codice MS. Vide Sirmon-

dum in Notis ad Goffridum lib. II. epist. VII.

TRANSGRESSUS FUERAT] Hoc rursum incommo- dum in rem publicam attulerunt privilegia monasteriis concessa, ut eorum prae- textu monachi non servarent interdictum quod Episcopus protulerat in regionem. Ortum id malum ex nimia prae- scorum Pontificum teneritudine & indulgentia: qui, ut otia quietemque monachorum foverent, etiam divina in receptaculis suis officia celebrare permiserunt, tametsi pagus in quo monasterium erat constitutum, generali interdicto teneretur. Quod nemo non videt ea solum de causa datum esse monachis, ne qui non peccaverant, poenas sceleribus constitutas dependerent. Hinc factum ut excommunicati & interdicti frequenter eluderent vim atque dignitatem ecclesiasticae potestatis, dum monachi, studio videlicet venditandi privilegij, libertatem in licentiam vertebant; ut colligitur ex epistola D L I V. libri primi regestorum Innocentij III. ex qua sumptum est caput *Cum in partibus. De verbor. signific.* Privilegium autem illud his vulgo verbis conceptum erat: *Si vero generale interdictum terra fuerit, liceat vobis januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare.* Avo Clementis Papae IV. cum Reginaldus Episcopus Parisiensis interdicto supposuisset civitatem ac dioecesium Parisiensem, monachi quidam refractis pudoris ac reverentiae claustris, non solum divina in suis conventibus officia celebrarunt, sed propria temeritate sine judicio vel modo cuncta fecerunt per quae ostendere poterant se flocci facere episcopalem auctoritatem. Nam cum privilegia permitterent monachis ut durante interdicto generali divina officia in suis domibus celebrare possent sup-

pressa voce, januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis interdictis & excommunicatis, illi è contrà, quò magis pateret contemptus, durante interdicto apertis januis, pulsatis campanis, alta voce divina officia damnabiliter celebrarunt, recipiendo interdictos præfata civitatis ad ecclesiastica sacramenta, ipsorumque corpora defunctorum faciendo in cœmeteriis ipsarum Ecclesiarum sepeliri; ut fidem facit ipse Clemens in epistola ea de re scripta ad Decanum, Thesaurarium, & Officialem Meldensem. Eadem perpetraverunt & Carmelitæ Parisienses: qui postea ad officium redierunt, seu sponte sua, seu fortean auctoritate Episcopi. Video Pontifices Romanos præcavisse ne monachi illa potestate abuterentur, edixissèque ne contra privilegij verba quicquam præsumerent. Et necessarium heic videbatur obsequium, saltem in speciem. Itaque sequenti tempore cauti homines, januis quidem clausis, quandoquidem ita Pontifices jusserant, sed perforatis, aut fenestris in eis factis, seu modis aliis exquisitis, divina officia celebrarunt, his technis palam illudentes Episcoporum auctoritati, nervumque ecclesiasticæ disciplinæ disrumpentes. Non tulit hanc audaciam Clemens Papa V. ut patet ex constitutione ejus edita, non in Concilio Viennensi, ut legitur in Clementinis, sed Avenione XII. Kalend. Aprilis anno MCCXX. multò ante Concilium Viennense; nisi si deinde repetita est in Concilio Viennensi, & in libros Clementinarum hinc translata. Extat autem in libro v. Clementin. tit. x. cap. *Ex frequentibus*. Vide Concilium Avenionense habitum anno MCCCXXXVII. cap. xxv. & Vaurense anni MCCCLXVIII. cap. cxxi.

ABBATIA S. LAVR.] Conquerebatur Dalmatius Archiepiscopus de iniquitate monacho-

rum Crassensium, quod abbatiam sancti Laurentij, quam Reges Francorum dederant Ecclesie Narbonensi, absque consensu ejus occupassent & invasis-
sent. Respexit autem Dalmatius ad tempora Ludovici Balbi Regis, qui abbatiam illam Sigebodo Narbonensi Archiepiscopo successoribusque ejus donavit illo prorsus tempore quo synodum Trecensem agitabat Iohannes Papa hujus nominis octavus, ut patet ex Præcepto Karlomanni Regis, quo patris donationem confirmat. In quo illud interim valde notandum est, Iohannis istius eam fuisse modestiam ac reverentiam in Regem Francorum, ut jus summum, quo Principes utebantur erga monasteria, noluerit convellere; sed cum eam abbatiam maxime cuperet uniri Ecclesie Narbonensi, quæ tum pauper erat, deprecatus est à Ludovico ut illam eidem Ecclesie donaret. ac facile impetravit. Rursum, observandum heic est, non consuevisse supprimi, ut nostrorum temporum verbis utamur, abbatialem dignitatem, cum abbatia quæpiam Ecclesie cathedrali uniebatur, sed Abbates cum monachis solitos relinquere in monasteriis sic unitis, ac tamen administrationem rerum temporalium pertinuisse ad Episcopum Ecclesie cui unitum erat monasterium. Nam ex actis Concilij Portuensis habiti anno DCCCXCVII. constat monasterium sancti Laurentij illo tempore Abbatem habuisse Froiam. Et tamen abbatia illa Narbonensis Ecclesie propria erat jam ab anno DCCCLXXVIII. quo Trecensis synodus habita est. De auctoritate porro Principum erga monasteria vide quæ à nobis dicta sunt ad Lupum Ferrariensem.

ROM. ECCL. PRIVILEGIO] Pontificem Romanum, qui hanc sancti Laurentij abbatiam confirmaverit Ecclesie Narbonensi, nullum invenio

nio præter Stephanum VII. in epistola ad Arn-
 stum Narbonensem Archiepiscopum data anno
 DCCCXCVI. quæ à Catello edita est. Hunc verò
 primum omnium Pontificum Romanorum puto scri-
 psisse de privilegiis Ecclesiæ Narbonensis. De iis
 enim loquens, ac de bonis eidem Ecclesiæ collatis,
 Imperatores, Reges, & alios Deum timentes nomi-
 nat, nullum ex prædecessoribus suis nominat. Unde
 etiam colligere possumus monasterium sancti Lau-
 rentij unitum Ecclesiæ Narbonensi fuisse sola Lu-
 dovici Regis auctoritate, absque ullo interventu
 auctoritatis Papæ Iohannis, tametsi præsens ad-
 fuit. Ceterum post istius Concilij Narbonensis tem-
 pora, dum Urbanus II. Paschalis II. & Eugenius
 III. enumerant bona & possessiones Ecclesiæ Nar-
 bonensis, altum semper apud illos silentium de mo-
 nasterio sancti Laurentij. Distractum enim erat ab
 Ecclesia Narbonensi, & monasterio Crassensi uni-
 tum. Attamen dissimulare non debeo, Ludovicum
 VII. in privilegio quod anno MCLVII. concessit
 Berengario Narbonensi Archiepiscopo, inter cetera
 Narbonensis Ecclesiæ bona numerare etiam abba-
 tiam sancti Laurentij.

S. POLYCARPI] Hoc monasterium, quod
 sub Dalmatio redactum est in prioratum, rursus
 in abbatiam evectum est. Sed quonam demum
 tempore istud contigerit, nondum mihi compertum
 est. Illud tantum scio, procuratorem sive vicarium
 Abbatis sancti Polycarpi interfuisse Concilio quod
 Guilielmus de Broa Narbonensis Archiepiscopus
 habuit in civitate Biterrensi anno MCCLV.

BERTRANNI BARCHIN.] Adhuc Epis-
 copus Barcinonensis erat suffraganeus Archiepis-
 copi Narbonensis, licet Urbanus II. jecisset anno
 superiore fundamenta reparandæ Ecclesiæ Tarra-

conensis, quæ provinciæ metropolis erat. Ac frustra fuit contradictio Dalmatij Narbonensis Archiepiscopi. Valuit auctoritas Urbani, favore procerum provinciæ Tarraconensis adjuta. Itaque anno M X C I. Tarraco suum habuit Archiepiscopum, id est, Berengarium Aufonensem tum Episcopum, Sed valde puto Barcinonensem Episcopum noluisse redire ad veterem provinciæ metropolim, maluisseque manere subjectum cathedræ Narbonensi. Nam in epistola Urbani II. ad Raynerium Legatum video illum ad Romanum Pontificem accessisse cum Archiepiscopo Narbonensi, & illo quidem tempore quo idem Archiepiscopus querelam suam de subtractione Episcoporum Tarraconensium acrius urgebat.

CONCILIVM MONSPELIENSE

SUB MICHAËLE.

HANC synodum à Magistro Michaële celebratam puto cum in Hispaniam proficere retur, legationem illic obiturus nomine Celestini III. Romani Pontificis. cuius legationis meminit Innocentius III. in libro primo Regestor. epist. XCIX. Occasionem autem mittendi tum in Hispaniam Legati eam fuisse puto, quod (ut narrat Godofridus monachus sancti Pantaleonis ad Coloniã) anno MCXC V. facta fuerit irruptio paganorum valida & bellum ingens contra Christianos in finibus Hispaniæ & Gallaciæ, ita ut Rex Hispaniæ metu periculi conditione cum eis facta, in regnum Regis Franciæ demigraret, pacta pace cum ethnicis usque in Pentecoste sequentis anni. Itaque Michael, cuius

gotium istud Hispanicum valde cordi fuisse video, privilegiis in hac synodo ornavit eos qui in Hispaniam pergerent adversum Sarracenos, pœnâsque è diverso constituit adversus eos qui arma seu armamenta vel lignamina galearum aut navium deferrent Sarracenis.

CAP. I.

DECRETUM ANTIQVUM] ab Innocentio II. inventum in Concilio Claromontano, ac post annos deinde novem renovatum in Lateranensi, in alio tandem Lateranensi confirmatum ab Alexandro III. ex quo sumptum est caput primum de treuga & pace.

CAP. IV.

APUD MONTEPESUL.] Hæc sola Concilij istius memoria superest, ut alibi dicemus. Nam illius acta non extant. Vide rursus infra cap. xv.

CAP. VI.

GREGORIUS OCTAVUS] Hic locus approbat restituendum esse Gregorio VIII. caput *Ex administrationis*. quod extat in libris Decretalium, Titulo *De iurejurando*, ubi Gregorio III. tribuitur. Quamquam recte monent Correctores Romani, ut id ipsum in margine secundæ collectionis antiquæ demonuerat Antonius Augustinus, unum codicem tribuere istud caput Gregorio octavo, idque videtur rectius. Sed post testimonium Magistri Michaëlis, nullus deinceps superest dubitandi locus quin ad Gregorium octavum referri debeat. Sic ergo habet illa Gregorij constitutio quam hoc loco laudat Magister Michaël. *Quoniam igitur creditores ad usuras solvendas in manifestum periculum animarum*

juramento debitores astringunt; nos eorum saluti volentes juxta debitum officij nostri prospicere, & iniquum gravamen à debitoribus remove, & illis precipue qui se vel auxilium dederint ad succursum terre Hierosolymitanae præstandum, universitati vestre mandamus quatenus creditores ipsos ad juramenta super usuris solvendis præstita relaxanda, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, districtiōnis ecclesiasticae severitate cogatis.

CAP. XV.

PARMENSIS CONCILIO] Habemus ex hoc loco Concilium Parmense à Gregorio VII. celebratum fuisse anno MCLXXXVII. cujus altum apud omnes scriptores silentium. Sed ego meo putō reperisse aliquot illius Concilij capitula, quæ suo loco dabuntur.

CAP. XVI.

CUIUSD. PARTIS HISP.] Respicit ad cladem à Mauris sive Sarracenis hoc anno illatam Hispaniæ, cujus supra meminimus ex Godefrido monacho. Magnam autem fuisse barbarorum irruptionem, magnam Christianorum cladem constat. Vide Marianam in libro XI. de rebus Hispaniæ cap. XVIII.

CAP. XVII.

MULTIPLICITAS FERULOR.] Jam antea ad Agobardum monuimus tam sollicitos in hoc fuisse veteres, ut nullam occasionem prætermitterent admonendi Episcopos ut à comestationibus & ebrietate abstinere. Et attulimus illic insignem locum ex commentario Hieronymi in Michæam Prophetam. Rectè ergo, & juxta morem veterum,

Legatus iste Episcopos & Clericos admonet attendere ne corda eorum crapula vel comestationibus aggraventur, juxta consilium Pauli Apostoli ad Timotheum scribentis. Sed quòd ait vitandam esse multiplicatam ferculorum, respicit haud dubiè ad consuetudinem Francorum, qui (ut Liuthprandus adnotat in libro primo historiarum sui temporis c. vi.) cibaria multa convivis ministrare consueverunt, cujus etiam moris antiqui testimonium extat apud Vvalfighamum ad annum MCCXCVI.

CONCILIUM MONSPELIENSE

Habitu anno MCCXIV.

PUTO in literis evocatoris legendum esse *R. servus crucis Christi &c.* non autem *P. servus &c.* Verùm cum ita scriptum sit in authentico, nihil mutare volumus. Sed profectò intelligi debet de Roberto de Corceone Tituli sancti Stephani in Caelio monte Presbytero Cardinale, qui tum in Gallias missus est pro negotio terræ sanctæ promovendo. *Qui legatus veniens in Franciam,* inquit Petrus monachus Vallium-Cernaij in capite LXX, *Historiæ Albigenis, sollicitudine non pigra junctum exequens officium, cœpit discurrere per Franciam, Archiepiscoporum & Episcoporum Concilia celebrare, predicatores instituere, modisque omnibus terræ sanctæ negotium promoveri.* Hic igitur cum videret non deserendum esse negotium fidei, Concilium indixit in Monspelienfi urbe celebrandum, ad quod invitavit Episcopos vicinarum provinciarum. Sed ipse, ut ego quidem arbitror, hanc synodum non celebravit. Superveniens autem

Petrus de Benevento, conventum à Roberto destinatum habuit apud Montepessulanum. Editi fuerunt istius Concilij canones à clarissimo viro Petro Gariello in Serie Episcoporum Magalonensium, sed mendosi, ac mutili. Itaque operæ præmium fuit eos heic rursus edere ex veteri codice MS. monasterij sancti Albini Andegavensis. Quòd autem in tractoria ad Archiepiscopum Narbonensem legitur *Occitanensis* pro *Auxitanensis*, id scriptorum imperitiæ imputandum est, qui etiam frequenter scribunt *Auxitanensis* pro *Occitanensis*, ut satis notum est iis qui tractant veteres codices vetustasque membranas.

C A P. I.

A LAICIS IN HABITU] Ex hoc loco & pluribus aliis posteriorum temporum constitutionibus facile colligi potest verissimam esse observationem Tertulliani, qui in libro de velandis virginibus ait, sola fidei regula irreformabili & immutabili manente, cetera conversationis & disciplinæ admittere novitatem correctionis. quod etiam observatum est ab Innocentio III. in capite quinquagesimo Concilij Lateranensis. Nam antiquitus Clericorum vestitus non erat diversus à vestitu ceterorum hominum, solis moribus distinguebantur; ut patet ex Sulpitio Severo Dialogo II. cap. IV. & ex Celestino Papa I. in epistola ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos, in qua hæc inter cetera leguntur: *Discernendi à plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu.* Vide Ioannem Monlucium in libro de reformatione Cleri Valentini & Diensis cap. I.

CAP. III.

Quod heic de Clericorum vestibus dicitur, magna ex parte sumptum ex Concilio quod anno MCCIX. apud Avenionem celebratum est à Milone apostolicæ sedis Legato, quod editum est in secundo tomò Spicilegij Dacheriani, cujus verò extant apud nos aliqua acta nondum edita. Istud porrò Concilij Monspelienfis statutum laudatum confirmatúmque est in Concilio quod in civitate Biterrensi habuit Gualterus Episcopus Tornacensis & apostolicæ sedis Legatus anno MCCXXXIII. Vide Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. XVI.

CAP. X.

PROCURAT. RED.] Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. XXXIII. *Procuraciones que visitationis ratione debentur Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis Legatis aut Nuntiis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi quando presentialiter officium visitationis impendunt.* Concilium Salmuriense habitum anno MCCLIII. *Non sine radice cupiditatis procedit quòd nonnulli Prelati provincia Turonensis in prioratibus & Ecclesiis procuracionem aut aliquid nomine procuracionis recipiunt in pecunia numerata, & nihilominus subditos ad eos in eisdem locis procurandos compellunt, sic ab eis procuracionem duplicem exigendo. quod fieri districtius prohibemus. Cùm ratione visitationis debeat procuratio, inhibemus districtè precipientes ut nullus procuracionem recipiat nisi à locis duntaxat visitatis.*

CAP. XV.

PECUNIA PRO VEST.] Concilium Turonense habitum anno MCCXXXIX. Auctoritate presentis Concilij statuimus ne monachis vel aliis religiosis detur aliqua pecunie summa pro victu seu vestitu & aliis necessariis, sed juxta facultatem monasterij provideatur competenter eisdem. Item Concilium provinciale habitum apud Vallem Guillonis in diœcesi Cenomanensi anno MCCXLII. Quia verò radix omnium malorum est cupiditas, religiosis personis pecunia pro vestibus non tradatur; sed solum procurator domus vestes emat competentes, ut ipsis occasio habendi proprium subtrahatur. Concilium Albiense sub Zœno Legato cap. XVI. Nulli regulari pro vestibus seu pro pitancia suo majore pecunia summa detur, (ex hoc enim datur ei materia proprium retinendi) sed omnes in vestiario induantur.

CAP. XVI.

PROPRIETARIUM] id est, illi monachi qui proprium habent, ut dictum est in capite precedenti; in quibus id crimen est, cum paupertatem profiteantur. Nam maximè cupiunt veteres ne monachi aut Canonici regulares quippiam proprium habeant, sed ut apud illos omnia sint communia. Innocentius III. in epistola ad Abbatem & Conventum Sublacensem, quæ anno MCCII. scripta est, adeoque multò ante Concilium Mospeliense. Prohibemus quoque districtè in virtute obedientie sub obtestatione divini judicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habet proprium, totum incontinenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus ha-

bere, regulari monitione prævia de monasterio ex-
 pellatur; nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat se-
 cundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas
 apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum
 eo in signum perditionis extra monasterium in ster-
 quilinio subterretur, secundum quod beatus Gregorius
 narrat in dialogo se fecisse. Unde si quicumque ali-
 cui fuerit specialiter destinatum, non præsumat il-
 lud accipere; sed Abbati, vel Priori, vel Cella-
 rio assignetur. Et infra: Nec estimet Abbas quòd
 super habenda proprietate possit cum aliquo mona-
 cho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut &
 custodia castitatis, adeo est annexa regula monacha-
 li, ut contra eam nec Summus Pontifex possit li-
 centiam indulgere. Extat hæc Innocentij constitu-
 tio in Tertia Collectione & in Decretalibus Gre-
 gorij, Titulo De statu monachorum, cap. Cum ad
 monasterium. Istius porro constitutionis mentio ex-
 tat in canone IX, Concilij Avenionensis anni
 MCCIX. Episcopis, Abbatibus, Præpositis, & ce-
 teris Religiosis Prioribus conventus insinuat syno-
 dalis, & sub attestatione divini iudicij districtè in-
 iungit, ut subditis suis professis licentiam habende
 proprietatis non tribuant, cum etiam hoc Romano
 Pontifici non liceat, sicut Dominus Innocentius Pa-
 pa tertius in quadam sua constitutione testatur. Ean-
 dem constitutionem in Concilio Biterrensi renova-
 vit Gualterius Episcopus Tornacensis & apostolicæ
 sedis Legatus anno MCCXXXIII. In Concilio habito
 anno MCCXXXI. apud Castrum Gonterij in diocesi
 Andegavensi ista leguntur: *Inhibemus ne monachi,*
nisi sint in administratione constituti, habeant sub
aliquo colore aliquam possessionem vel aliquam pro-
prietatem, etiam de licentia Abbatum, cum licen-
tia Abbatis in hoc eis non valeat suffragari. Ref-

picit itaque etiam hic canon ad constitutionem Innocentij. Hunc porrò canonem confirmavit Salmuriense Concilium cujus supra meminimus.

CAP. XXV.

INTERDICTOS] Hanc monachorum audaciam animadverto ubique exagitatam ac damnatam. Sed de illa satis supra dictum est in Notis ad Concilium Narbonense anni M X C. neque ea repeti nunc est opus.

CAP. XXVI.

TRES AD MINUS FRATRES] Statutum istud servari jussit Petrus Amelij Narbonensis Archiepiscopus in suo provinciali Concilio celebrato anno MCCXXXV. *Illud præterea duximus exprimendum, ut in Ecclesiis nostris non pauciores faciant moram quàm tres monachi vel Canonici regulares; sicut alia vice per Dominum Petrum Beneventanum tunc apostolica sedis Legatum fuit in provinciali Concilio constitutum, & postmodum observatum.* Id ipsum in Biterrensi Concilio statutum reperio à Gualtero Tornacensi Episcopo, juxta mandatum Gregorij IX. cujus ea de re habetur epistola ad eundem Gualterum Legatum scripta. Jam antea cùm Abbas & Conventus monasterij Rivenfis in diocesi Venetensi assèrerent sibi per literas ab apostolica sede concessum esse ut in singulis ipsorum prioratibus singuli monachi commorarentur, si pluribus facultates non suppetere, deque ea re Venetensis Episcopus querelam ad Honorium III. detulisset, respondit Honorius istud repugnare Lateranensi Concilio, adeoque non credere se tales literas ab apostolica sede emanasse. Addit autem, ut si per occupationem, id est, subreptionem, forsitan

emanaverint, nolle se ut per hoc derogetur Concilio supradicto. Statutum porrò istud Concilij Lateranensis, quod laudat Honorius, extat in Concilio Lateranensi Alexandri III. & in Decretalibus Gregorij, Titulo *De statu monachorum*, cap. *Monachi*. Honorij verò constitutio extat in quinta compilatione Decretalium edita à clarissimo viro Innocentio Cironio Cancellario Tolosano, & in Decretalibus Gregorij, Titulo *De capellis monachorum*, cap. *Ex parte*. Vide Concilium Albiense sub Zæno cap. xvi.

Deest ergo in hoc Monspeliensi Concilio statutum de vestibus monachorum nigrorum & Canoniorum regularium, ut eas deferant albas, vel nigras; ea videlicet ratione, ut in una domo una sit forma vestis, unus color, nec quisquam monachorum nigrorum vestem ferat albam, neque Canonicus regularis nigram. Sola istius Concilij memoria superest in eodem cap. xvi. Concilij Albiensis.

CONCILIUM MONSPELIENSE

Habitu anno MCCXXIV.

LIBERTATES ECCLESIAE.] Quid sit hoc loco libertas Ecclesiæ, & utrum de sola electionum libertate intelligi debeat hic locus, an verò de aliis etiam rebus Ecclesiarum, non aliunde luculentius discere possumus quàm ex conditionibus pacis apud Fanum sancti Ægidij in prima Narbonensi initæ anno MCCIX. inter Milonem apostolicæ sedis Legatum & Raimundum Comitem Tolosanum, istius Raimundi patrem. Nam inter mandata quæ Legatus dedit Raimundo post absolutionem,

id est, post pacem factam ac stabilitam, istud in primis legitur: *Item precipio ut Ecclesias & domos religiosas in libertate plenaria conserves. Videlicet, quod in eis alberguarias, procurationes, vel exactiones quascunque nullatenus exigas vel percipias. Et defunctis earum Episcopis vel earum rectoribus, ipsas nullo modo spolies, nec administrationi earum seu custodie occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia te immisceas, sed omnia sine diminutione aliqua eorum successoribus reserventur. Electioni etiam Episcopi vel alterius rectoris Ecclesia facienda per te vel per quamcunque personam nullatenus te admisceas, nec aliquam violentiam facias, vel impedimentum aliquod praestes, quò minus electio liberè & canonicè celebretur.* Ista omnia servaturum se pollicitus est Raimundus Comes, interposita etiam religione jurisjurandi; ut patet ex literis ejus, quæ à nobis editæ sunt in Additione ad librum octavum de concordia sacerdotij & imperij cap. XXVI.

Igitur libertas Ecclesiarum varia quidem capita complectitur in his Raimundi literis quas nunc edimus, sed tamen in primis libertatem electionum episcopalium, quæ passim Ecclesijs adimebatur per potentiam laicorum. Quod ut meliùs intelligatur, res suprâ repetenda est. Primis Christianissimi seculis, cum adhuc Ecclesia pauper erat, cum pro nomine Christi gloriosa in certamina ruebatur, penes Clerum & populum fuit electio Episcoporum, hominum ex eo, ut ferebant illa tempora, martyrij candidatorum. Tunc ergo, ut sanctus Gregorius ait in libro primo de cura pastorali, laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Post fundatam deinde ac stabilitam apud

omnes ubique gentes fidem Christianam, cum martyria desissent, cum Episcopi cœpissent in honore esse, crevissentque opes, episcopatus, ut Sulpitius Severus ait, pravis ambitionibus appeti cœperunt. Inde fœda interdum certamina, etiam usque ad sanguinem & cædes. Hinc factum ut illi qui ad eam dignitatem aspirabant, cum neque propriis meritis neque Cleri populivæ studiis attollerentur, ad potentiam Principum se verterent. Quod in initio durum, posteriori tamen ætati visum est expedire bono disciplinæ. Nam Ecclesia volens cupiditati & avaritiæ Clericorum occurrere, qui largitionibus & potentia tentabantur ac facile corrumpebantur, videns præterea Principum Christianorum pietatem, qui titulis ac virtutibus suis addiderant protectionem ac tuitionem Ecclesiarum, posse huic negotio sufficere, in eos transtulit jus & auctoritatem nominandi Episcopos, ea etiam, ut opinor, de causa, quod multum interfit Principum ut in civitatibus imperio eorum subiectis tales instituantur Episcopi qui populos verbo & exemplo doceant jura majestatis non esse violanda, quemadmodum alibi dictum est à nobis. Sed ut mala magis vincunt, quod provisum fuerat ad remedium, paulatim versum est in maximam perniciem. Nam succedente tempore adeo corrupti sunt hominum mores ut non aliter episcopatus ac reliqua sacerdotia ut plurimum acquirerentur quam vi nummorum; fuitque per multum ævi vulgatum turpe inter dantes accipientesque commercium, seu vitio temporum, ac facilitate regnantium, sive per improbitatem eorum qui negotia palatina tractabant. Itaque ingenti hoc malo excitati Episcopi, putaverunt postulandum esse à Regibus ut canonicam Episcoporum electionem restituerent Ecclesiis; ut

fidem facit liber primus Capitularium cap. LXXXIV. his verbis : *Sanctorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo jure liberius potiretur, ad sensum ordini ecclesiastico praebeimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundum statuta canonum de propria diocesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitae meritum & sapientiae donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.* Cujus legis meminit & Ivo Carnotensis in epistola centesima secunda. Sed ego animadverto eam non fuisse observatam, ac nihilo minus Reges dedisse episcopatus in universum; si paucas quasdam Ecclesias excipias, quibus ex speciali privilegio concessum est ut vacantibus Ecclesiis provideretur per electionem. Nam Karolus Crassus liberum & integrum jus electionis tribuit Ecclesiis Genevensi & Cabillonensi, uti jam observatum est à viris eruditissimis. Idem privilegium Aurelianensi Ecclesiae tributum antea fuerat; ut fidem facit Karolomannus Ludovici Balbi filius in Praecepto de privilegiis Ecclesiae Aurelianensis, quod heic nunc primum edimus in appendice actorum veterum. In quo interim Praecepto, ut hoc obiter moneam, duo quaedam valde notanda sunt. Primum, non in omnibus Ecclesiis viguisse jus & potestatem eligendi Episcopos, tamen Karolus Magnus & Ludovicus Pius electiones Ecclesiis restituerent lege generali, quandoquidem privilegium illud Ecclesiae Aurelianensis vocatur magnum ac singulare privilegium in hoc Karolomanni Praecepto. Quod absurdum ac falsum esset, si idem fuisset jus ceterarum Ecclesiarum. Adnotandum deinde est, Gauterum Aurelianensem Episcopum non ausum esse petere à Romano Pontifice privilegium pro canonica Epif-

corporum electione facienda in Ecclesia Aurelianensi, absque licentia Principis, ideoque eam à Karolomanno petiisse. Nam istud indicat privilegia olim intra hoc regnum non potuisse concedi Ecclesiis à sede Romana, nisi consensus Regis accederet. Quo fiebat ut rariùs per ea tempora imploraretur apostolicæ sedis auctoritas. Ceterùm etiam post Karolomanni ætatem viguit ea consuetudo, ut cùm quis privilegium à Romana sede postulare decreverat, licentiam à Principe peteret adeundi Pontificem Romanum. Extat enim apud Aubertum Miræum in Codice donationum piarum pag. 123. Præceptum Henrici Imperatoris cognomento Aucupis, datum anno Christi nongentesimo trigésimo secundo, in gratiam Gerardi Abbatis Broniensis, in qua ista leguntur: *Quia verò idem [Dei] famulus Gerardus presentiam Domini Papa in corde suo disposuit adire, & ad roborandam libertatem Broniensis Ecclesie ab ipso privilegium vult expetere, mandamus Patri nostro Summo Pontifici ut traditionem quam de eodem loco imperiali sanximus auctoritate, apostolica confirmet benedictione, ut observatores nostræ Præceptionis gratiam & misericordiam vitamque æternam à Deo consequantur.* Præscribit modum privilegij. Sic Radulphus quidam cupiens restaurare monasterium Usercense in Lemovicibus, privilegiumque à Romana sede postulare, non antè ausus est ingredi iter Romanum quàm licentiam eundi habuisset à Ludovico Transmarino, qui tum Francis imperitabat. Colligitur istud ex Chartulario ejusdem monasterij Usercensis, ubi hæc habentur: *Turpioni Episcopo successit Ebolus: cujus temporibus & Ademari Vicecomitis Seguris, vir quidam strenuus & nobilissimus, degens in castro dicti Vicecomitis, cujus erat consiliator, nomine Radul-*

phus, cui erat uxor Alaidis, dolens tam honorabilis loci destructionem, cum consilio domini sui Ademari adiens Ebolum dictum Episcopum, petiit ab eo litteras ad Regem Ludovicum, ut sibi licentiam daret ordinem monasticum statuere in loco Vsercensi. Cumque accepisset à Rege quod petierat, cum hoc Privilegio Romam ad Papam perrexit, ut hoc cum ipsius auctoritate fieret. Cumque Roma cum auctoritate Papæ reverteretur, apud Tutelam infirmitate gravatus tandem vita decessit, ibique sepultus est. Rectissime enim observatum est ab Ivone Carnotensi in epistola cx. ea quæ ab Episcopis ratione rectè fiunt, per se satis vigere, sed tamen carius fieri & quadam luce irradiari, cum id quod prohibendum vel præcipiendum est, decreto apostolico roboratur. Quæ Ivonis observatio trahi etiam potest ad constitutiones Principum. Ad Aurelianensem Ecclesiam quod attinet; Marinus Papa, qui Karolomanni ævo tenuit Romanam sedem, ei canonicam Episcoporum electionem confirmavit; ut docent literæ Hugonis Regis, quibus & Karolomanni Præceptum & Marini Privilegium confirmat, quæ extant in veteri Chartulario Ecclesiæ Aurelianensis. Sed ut ad id redeamus unde digressi sumus, obtineri prorsus non potuit ut viri principes abtinerent se ab electionibus Episcoporum, tamen & Regum leges & Conciliorum canones ista laicos attingere vetuissent. Itaque Raimundus Comes Tolosanus jure ab avis ad se transmissio utens, immiscebat se electionibus Episcoporum, ut illos eo pacto haberet obnoxios. Quod fieri deinceps vetuit Milo sedis apostolicæ Legatus. Et Raimundus promiserat. Verum nec sic tamen à malo cessatum est. Tandem Arnaldus Archiepiscopus Narbonensis, qui huic Monspeliensi Concilio præsidebat vice Honorii

Honorij Romani Pontificis, hunc Raimundum, superioris filium, altaribus adnotum jurejurando adegit non ampliùs turbaturum electiones Episcoporum.

HONORI COMITIS MONT.] Nam Papa Honorius, ne frustra bellum gessissent Simon & Amalricus Monfortij, edixerat ut si pax cum Raimundo Comite Tolosano coiret, ea ratione fieret ut & terra purgetur hæreticis, & Ecclesiis ac viris ecclesiasticis congruè satisfiat de damnis & injuriis irrogatis, & provideatur libertati ecclesiastica in futurum, & HONORI dilecti filij nobilis viri AMARICI COMITIS TOLOSANI, qui, sicut & clare memoria pater ejus, pro servitio Dei & apostolica sedis exposuit semetipsum, propter quod sibi non possumus aliqua ratione deesse in ipsa parte, quantum fieri poterit, deferatur. Hæc sumpta sunt ex epistola Papæ Honorij III. ad Ludovicum VIII. Francorum Regem data Laterani anno MCCXXV. pri. Non. Aprilis, quæ extat apud Odonum Raynaldum. Itaque Raimundus, quando eadem alia tum via non patebat qua se expediret a laqueis quibus tenebatur, pollicitus est se pro damnis & injuriis Ecclesiis ac viris ecclesiasticis irrogatis, & ut ob reverentiam & honorem Romanæ Ecclesiæ & Papæ Honorij provideri valeret HONORI COMITIS MONTISFORTIS, pollicitus est, quæquam, se ob eas causas daturum Ecclesiæ, non undecim millia marcharum argenti, ut habet autor vita Ludovici Regis, sed omnino viginti millia; ea tamen conditione, ut Comes Montisfortis universum cederet juri quod prætendebat in terra ipsius Raimundi & fœderatorum ejus. Intelligebat sanè Amalricus conventum istum Monspeyensem, qui tum habendus erat, plurimum rebus

suis incommodaturum, relinquendamque esse possessionem tot urbium ac regionum quæ ad se pervenerant jure belli & decreto Concilij Lateranensis, si pax fieret inter Ecclesiam & Raimundum. Itaque modis omnibus efficere laboravit ut tractatus iste vanus foret, ausus obsecrare obtestarique Episcopos qui ad Concilium Monspeliense venturi erant ne pacem cum Raimundo facerent. Sed irritus fuit hic Amalrici conatus. Nam Episcopi pacem cum Raimundo fecerunt. Quanquam nec sic quidem rediit concordia. Rursum bellum. Magnus ergo tandem dies diuturnæ istius gravissimæque controversiæ impositus est anno MCCXXVIII.

DE FAIDITIS] Faidæ vocabulum, ut observatum est à Sirmondo, significabat olim apertam & capitalem inimicitiam ob causam aliquem de propinquis susceptam. Itaque vox *faiditus*, quam valde probabile est à *faida* deductam esse, multum deflexit ab origine sua. Nam significat propriè rebellem ac proditorem, ob eam causam proscriptum & exulem. cujusmodi erant illi Tolosates qui adversus Raimundum Comitem steterant pro Montisfortis. Nam illos exulare compulerat Raimundus, bonaque eorum publicaverat; quidam vero auferant metu pœnæ. Ludovicus IX. in literis de confirmatione pacis anni MCCXXVIII. *Item omnes indigenæ qui faiditi fuerunt de terra illa pro Ecclesia, pro patre nostro, & Comitibus Montisfortis & adherentibus eis, vel propria voluntate recesserunt ab eadem terra, nisi inveniantur heretici ab Ecclesia condemnati, integrè restituantur in statum pristinum quoad hereditates & possessiones. Sic, qui Raimundi partes fovebant, faiditi fuerunt auctoritate Comitum Montisfortis, bonaque eorum publicaverat*

blicata, ut patet ex actis concordie inite inter sanctum Ludovicum & Prælatos Gallie Narbonensis. Nam qui in his actis vocantur faiditi, banniti vocantur in epistola quam Innocentius IV. Pontifex Romanus scripsit ad Episcopum Parisiensem anno MCCXLV. Extat præterea in archivo regio Parisiensi epistola civium Narbonensium ad Honorium III. Pontificem Romanum, ex qua patet faiditorum, inimicorum, ac proditorum eandem esse significationem. Hinc *faidimentum* pro prodicione in eisdem actis concordie de quibus mox dicebamus.

CONCILIUM BITERRENSE

Habitu anno MCCLV.

GUILLIELMUS de Broa Narbonensis Archiepiscopus, qui præsidebat huic Biterrensi Concilio, maximè inclaruit ob diuturnam controversiam quam habuit cum Amalrico Vicecomite Narbonensi: cujus ea fuit improbitas ac culpa ut Archiepiscopum oportuerit excommunicationis sententiam pronuntiare adversus illum, quæ ab Innocentio Papa IV. postea confirmata fuit. Quippe tum in omnibus ferme negotiis necessaria videbatur auctoritas Episcopi Romani. Extant præterea ejusdem Innocentij literæ ad Regem Reginamque Francorum, quibus eos orat ut huic nostro Archiepiscopo subsidio sint adversus Vicecomitem. Fuit etiam Guilielmo nonnihil controversiæ cum Inquisitoribus hæreticæ pravitaris, quòd illi officium suum exequi præsumerent illo inconsulto. Sed eam auctoritatem video repressam fuisse ab Innocentio, ut par erat. His porrò gloriæ insignibus Guilielmum

ornavit Innocentius, ut ei liceret, quandiu viveret, crucem ante se deferri facere per totam provinciam Narbonensem. Nam antiquitus istud non erat vulgatum inter Archiepiscopos, & illis solis licebat quibus id speciali privilegio concessum erat à sede Romana. Itaque Callistus II. magnum quippiam se tribuere putavit Archiepiscopis Viennensibus, cum eis concessit ut crucem ante se per provinciam Viennensem deferri facerent. Quod jus ad Aufcienses dein, Burdegalenses, ac Messanenses Archiepiscopos transit beneficio Gregorij IX. ad Tarraconenses verò & Arelatenses Innocentij IV. & Clementis IV. item beneficio. Longum esset ire per singulos. Sed ex his quæ dicta sunt constat jus deferendi crucem, non solum ubique, sed etiam intra propriam provinciam, non fuisse antiquitus usurpatum ab Archiepiscopis, huncque honorem à Romanorum Pontificum inclinatione in hos vel illos primò profectum esse, ac veluti per gradus quosdam factum esse communem. Itaque ea prærogativa tandem apud omnes vulgata, dubitari deinde cœptum est an Archiepiscopus ut possit cruce extra suam provinciam. quam controversiam agit Petrus Andreas Gambarus in libro primo de auctoritate Legati à latere capite secundo. Sanè Clemens V. Archiepiscopo Cantuariensi concessit ut crucem ante se deferri faceret etiam extra provinciam Cantuariensem, cum in Angliam rediret è Concilio Viennensi. Sed & illud addendum hoc loco videtur, hunc honorem aliquando habitum fuisse etiam illis qui Archiepiscopi non essent. Nam Paschalis II. Ottoni Episcopo Bambergensi concessit ut crucis vexillum ante se portare faceret in sua diœcesi. Itaque Crucis & Pallij antea adverte eandem fuisse conditionem, eosdem etiam

tus, sed tamen Pallij usum esse multò antiquiorem. Nunc ad institutum nostrum redeamus. Ejusdem Innocentij IV. pontificatu, cùm monachi quidam Narbonenses ad se cuncta parochorum munia traherent, deque ea re querelam apud Innocentium deposuissent Abbas sancti Pauli Narbonensis & Prior beatæ Mariæ de Burgo Narbonensi, vulgò *la Mourguier*; rescripsit Pontifex ad Guilielmum Archiepiscopum Narbonensem ut & parochianos commoneret ad officium redire, & illam monachorum temeritatem compesceret.

STATUTA S. LUDOVICI] Hæc Statuta hinc edi volumus, quia præfatio indicat ea relecta fuisse in Concilio Biterrensi, & præterea multò emendatiora & auctiora sunt quàm in editionibus quæ hactenus prodierunt. Sanctas autem illas Ludovici leges diù perviguisse constat, ac nominatim illam quæ prohibet ne Seneschalli emant aliquas possessiones in sua Senescallia, quandiu eorum administratio durabit; adeo ut cùm Gaucelinus de Pairois Senescallus Cadurcensis nonnullas post hæc tempora possessiones emisset in sua Senescallia, necessum illi fuerit anno MCCCLXXI. literas à Karolo V. Francorum Rege impetrare, quibus derogaretur huic statuto.

APUD MELLEDDUNUM] Istud Statutum editum est in tomo v. Duchesnij pag. 421. & in tomo vi. Spicilegij pag. 473.



STATUTA GUIDONIS.

STATUTA Guidonis Fulcodij Narbonensis Archiepiscopi edere placuit inter Concilia Gallie Narbonensis, ut exemplum & auctoritatem doctorum virorum sequeremur, qui privatas illustrium Episcoporum constitutiones putaverunt edendas esse in tomis Conciliorum. Præterea fuit huic viro tam excellens ingenium, tanta rerum divinarum ac humanarum cognitio, tantæ denique virtutes, & ipsæ tam excellentes, ac tanta dignitas, ut cunctæ illius lucubrationes auro contra æstimandæ sint, summæque cura colligendæ. Natus ille in prima Narbonensi, familia Grossa, parentibus sanctis & rerum humanarum contemptoribus. Illi cura posteritatis. Itaque uxorem duxit, ex qua nonnullos liberos suscepit; quos, ut tradit Prolemæus Lucensis, in cultu enutrivit divino. Advocatus in utroque jure in Curia sancti Ludovici, magnam illico ac bonam famam sibi comparavit. Adscitus non ita multo post inter intimos Principis, consiliorum ejus particeps, & arbiter maximarum controversiarum quæ per ea tempora viguerunt. Mortua verò uxore, cum animum adjecisset ad clericatum, factus est primò Archidiaconus inde Episcopus Aniciensis in Vellaunis, gratiam & auctoritatem semper retinens apud Principem. Unde cum Narbonensis Archiepiscopus, qui tum erat Jacobus, interventionem Alexandri IV. postulasset apud Ludovicum adversus Seneschallum Carcassonensem, Alexander ad amicos Principis ea de re scribens, non omisit Guidonem Episcopum Aniciensem. Vacante dein Ecclesia Narbonensi per mortem Jacobi, Guido illi

substitutus est Canonorum suffragiis anno MCCLIX.
vi. Idus Octobris ; ut patet ex Decreto electionis
eius, quod habemus ex archivo Archiepiscopi Nar-
bonensis. Post aliquot deinde annos Urbanus Pa-
pa IV. eum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem
creavit, & ad episcopatum Sabinensem transtulit.
Sed is oblatum honorem rarissima moderatione
refusavit, dicens operam suam esse necessariam
Ecclesiæ Narbonensi, adeoque petere se supplici-
ter ab Urbano ut se sponsæ suæ relinqueret. Ita-
que quoniam is omnino nolebat ab ea divelli, Ur-
banus, qui putabat publicam Ecclesiæ universalis
utilitatem anteponendam esse privatis commodis Ec-
clesiæ Narbonensis, auctoritate utendum ratus, ei
præcepit in virtute obedientiæ ut omni excusatio-
ne cessante in Italiam veniret, apostolicisque man-
datis morem gereret. Ea tempestate Anglia civili
bello ardebat. Et erant omnino magni motus, &
calamitosissimus familiæ regiæ status. Mittitur il-
lic Guido noster cum amplissima potestate, ut Ro-
mani Pontificis vicem gereret inter discordantes,
episcopi auctoritate ac sua industria controversias
sedaret quæ causam bello dederant. Interim Urba-
nus mortuus est. Ei tandem substitutus est Guido
Legatus, absens licet, ac ne quidem cogitans de ea
dignitate, adeo ut vix flecti potuerit ad eam sus-
cipiendam. Modestiam, abstinentiam, integritatem,
& ceteras sanctæ animæ excelsique animi dotes in
tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Atta-
men flere non possum, tam sanctum ac infractum
fuisse in ea divitiarum & dignitatis sede, ut cari-
tatem etiam erga liberos exueret quodam modo.

CAP. I.

Miriùs agit Guido quàm Justinianus adversùs corruptores sanctimonialium. Nam ille in Novella XI. decrevit ut si quis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruerit feminam religiosum habitum habentem, vel religiosam vitam ducentem, bona ipsius & eorum qui hujusmodi sceleris communiione contaminati sunt, religioso loco vendicentur in quo talis mulier habitabat, ipsi autem capitali periculo subjiciantur. Synodus in Trullo habita statuit canone IV. ut laicus excommunicetur qui cum muliere sanctificata Deo mœchatus fuerit. Et in universum canon Arelatensis synodi à Gratiano relatus 27. q. 1. cap. *Sciendum*, Deo sacratarum feminarum violatores, sacrilegos ac filios perditionis juxta Apostolum esse pronuntiat. Vide lib. V. Capitularium cap. CCXXXII.

CAP. III.

NON MINISTRENT] Prohibet Guido ne quis sacerdotum præsumat ecclesiastica sacramenta ministrare Christianis diœceseos Narbonensis, nisi priùs curam animarum receperint à Narbonensi Archiepiscopo vel ejus Vicario. Quod ab antiquitate sumptum, novitatem etiam fortasse redarguebat, temeritatem nempe quorundam monachorum, qui in Ecclesiis suis Presbyteros interdum instituebant inconsultis Episcopis; tamenetsi istud veritum esset ab Urbano II. in Concilio Claromontano & in Nemaufensi, ac postea confirmatum à sequentibus Pontificibus. Tum etiam perstringit fortassis audaciam mendicantium, qui per ea tempora episcopali nomini insultabant, & omnia parochorum officia in se trahebant, ut diximus supra in Notis

ad Concilium Biterrense anni MCCLV. Vide Concilium Vaurense anni MCCCLXVIII. cap. LXXVIII.

CAP. V.

Prohibetur hoc capite ne mercata fiant die dominico, nimirum ob reverentiam dominicæ resurrectionis, quod prohibitum etiam est in libro I. Capitular. cap. CXLV. lib. V. cap. CLXXXVIII. & lib. VI. cap. CLXXXVI. Decreta Nicolai II. MS. cap. x. *Vt dominicis diebus mercata non fiant; exceptis annis feriis, & quæ ad victum pertinent.* Vide Notas nostras ad librum Agobardi de insolentia Judæorum, & Guilielmum Durandi in libro secundo de modo generalis Concilij celebrandi cap. LXIV. & lib. III. cap. LIII.

CONCILIVM BITERRENSE

Habitu anno MCCLXXIX.

POST mortem Clementis IV. Romani Pontificis, dum bonus Pontifex ac dignus Clementis successor quæritur, triennium ferme consumptum est. Interim Maurinus Narbonensis Archiepiscopus in fata concessit. Canonici Narbonenses de futuri pontificis electione tractantes, communibus suffragis elegerunt Petrum de Montebruno sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarium & Camerarium. Aberat tunc ille à provincia, ut qui esset Viterbij, ubi Pontifex Clemens mortuus erat. Hunc ergo cum elegerint Canonici Narbonenses, eaque electio comprovincialibus significata fuisset, illi literas scripserunt ad Cardinales Viterbij congregatos, rogantes, non ut electionem Petri confirmarent, sed

ut eum quantocyus abire sinerent. Hujus enim ope, & non alius, existimare se finem imponi posse molestiis & vexationibus quæ Narbonensi provinciæ inferebantur à Ballivis Regis Franciæ. Puto autem Philippum Regem repugnasse initio electioni Petri istius, fortassis ob illam quam diximus spem Episcoporum Narbonensium. Nam reperio Biterrensem, Tolosanum, Agathensem, Vcericensem, & Nemausensem Episcopos anno MCCLXXIII. (non verò MCCLXXXIII. ut malè habetur apud Catellum & Sammarthanos) epistolam scripsisse ad eundem Philippum, qua eum orabant ne malè de Petro Narbonensi electo sentiret, néve quid sinistri de illo suspicaretur. bonum quippe virum esse, optimo ingenio præditum, ejusque opera in maximis Ecclesiæ negotiis usos esse cùm Clementem Papam, tum Cardinales quando Romana sedes vacabat. Hujus rei fidejussores apud regiam majestatem futuros Episcopum Magalonsensem & Abbatem sancti Ægidij, quos ad illum eà de causa mittebant. Porro Narbonenses Episcopos spe sua frustratos non fuisse patet ex actis Concilij Biterrensis quæ nunc edimus, quandoquidem Petrus in eo tractari procuravit de mittendis ad Regem legatis, qui apud eum conquererentur de iniquitate Ballivorum regionum. Itaque ipse Petrus unà cum Episcopo Tolosano missus est ab ista synodo. Ad illum Nicolaus III. in initiis sui pontificatus elegantem epistolam scripsit, quam heic tibi damus, lector, in appendice actorum veterum.

BERTR. TOLOS.] Missus ille ad Regem Philippum, uti dictum est. Ea ergo fortassis occasione usus, effecit anno MCCLXXIX. ut Philippus cederet in gratiam ejus omni jure quod habere se prætendebat in quibusdam castris diœceseos Tolosana. Vide Catellum in Memorijis Historiæ Occit. p. 907.

GALTERUM CARCASS.] Hujus constitutiones synodales extant in veteri codice nostro MS. ex quibus constat virum fuisse bene peritum regularum ecclesiasticarum, strenuèque operam dedisse ut pravae consuetudines quæ in diocesim irreperant, abolerentur.

CONCILIUM BITERRENSE

Habitu anno MCCLXXX.

CONVOCATUM fuit istud Biterrense Concilium à Petro de Montebruno Narbonensi Archiepiscopo ad diem xxxi. mensis Martij, quæ fuit Dominica *Latere Hierusalem*. Ad illud porrò invitatus etiam Bertrandus (sic enim legendum puto, non autem Bernardus) Helenensis Episcopus, cum podagræ doloribus arderet, quibus complures annos cruciatus fuerat, excusatoriam pro se misit epistolam secundum antiquam consuetudinem multis patrum canonibus & decretis approbatam, nec solum epistolam, sed etiam vicarium, qui vice sua adesset in synodo, actisque subscriberet. Is fuit Berengarius de Palma Canonicus Helenensis. Et quia per eas tempestates Capitula quoque cathedralium Ecclesiarum evocari solebant ad synodos provinciales, Helenense Capitulum ad istud Biterrense Concilium misit Raimundum Olivarij Canonicum item Helenensem. Hæc sumpta sunt ex literis Episcopi & Capituli Helenensis ad Petrum Archiepiscopum Narbonensem, in quibus agitur tantum de celebrando Concilio, non autem de celebrato. Habitu porrò fuisse nos docet Galterius Episcopus Carcassonenensis in suis diocesanis constitutionibus, quas habeo manuscri-

ptas in veteri codice cum nonnullis aliis Episcoporum Carcassonensium constitutionibus. Nam duo istius Concilij decreta heic commemorat idem Galterius, his verbis : *Ad reprimendam malitiam perverforum, eorum videlicet qui litteris Domini Pape nequiter abutuntur, statutum fuit seu ordinatum in provinciali Concilio apud Biterrim Dominica qua dicitur pridie Kalend. Aprilis, quod Abbates suis inhi-beant districtè monachis ne per litteras apostolicas citent aliquem quousque ipsi Abbates eas viderint & examinaverint diligenter.* Et infra : *Item in dicto fuit Concilio statutum & ordinatum ut iudices à sede apostolica delegati non subdelegant nisi personis moribus & scientia approbatis, & in eisdem diocesis in quibus ipsi consistunt delegati.*

CONCILIVM BITERRENSE

Habitu anno MCCXCIX.

DI ù magnum inter Archiepiscopos & Vicecomites Narbonenses certamen fuit, deberentne Vicecomites esse subjecti Archiepiscopis; actamenetsi sæpe isti causa cecidissent, jurèque jurando fidem suam Pontificibus obligassent, etiam præstito homagio, instaurabant interdum causas discordiæ per abruptam contumaciam, pœnamque excommunicationis in se ultro accersebant & attrahabant. Tandem Amalricus Vicecomes Narbonensis, ut se subtraheret jurisdictioni & homagio Archiepiscopi Narbonensis, Philippi Pulchri Francorum Regis vassallum se constituit pro omnibus castris & possessionibus quas prædecessores sui tenebant ab Archiepiscopis. Nam etiam anno M CCLX.

Amalricus Vicecomes, istius Amalrici pater, fidelitatis iuramentum homagiūque pro ijsdem rebus præstiterat Guidoni Fulcodio Archiepiscopo tum Narbonensi, ac deinde Ægidio Archiepiscopo paucis antè annis quàm ista synodus haberetur. Novitium istud Amalrici facinus urebat profectò Ægidium, ac tam altè animo ejus infidebat, ut synodum provincialem ea de causa cogeret, efficeretque ut ex ea legati mitterentur ad Regem, expositulaturi cum eo de injuria Ecclesiæ Narbonensi illata ab Amalrico. Nec his contentus, etiam ad Bonifacium VIII. Papam detulit istam querelam; ut patet ex literis ejusdem Bonifacij ad Philippum Regem scriptis xv. Kal. Augusti anni sequentis, quæ ab Odo-rico Raynaldo editæ sunt, in quibus ista leguntur: *Ad hæc premissis adjicitur grandis injuria & amara querela, quæ ad nostrum pervenit auditum, quòd nobiles vir Amalricus Vicecomes Narbonæ, antiquorum progenitorum suorum, qui Ecclesiam Narbonensem & alias eidem subjectas quantum & quando potuerunt multipliciter impugnarunt, vestigijs inherens pestiferis, jurisdictionem & omnia quæ dicta Narbonensis Ecclesia tenet vel habet in civitate ac burgo Narbonæ & pertinentiis eorundem, & quæ indubitanter tenebat ac tenere debebat in feudum ab eadem Ecclesia Narbonensi, quæve parentes sui a centum ferè annis citra continuè Archiepiscopis qui pro tempore ipsi Ecclesiæ præfuerunt, & pater istius Vicecomitis, eodem presente, sciente, & intelligente, Narbonensi Archiepiscopo qui nunc præest, cum sacramento fidelitatis & homagio, presente quoque multitudine hominum, Clericorum & laicorum, nobilium & ignobilium, copiosa, ante majus altare in ipsa Ecclesia Narbonensi, se tenere in feudum, ut indubitatis constat Regem Francia prædecessorum*

tuorum privilegiis, Vicecomitum Narbonensium litteris eorundem Vicecomitum sigillis signatis, & aliis etiam luce clarioribus documentis, & hæc ipse idem Vicecomes procuratorio nomine patris sui, dum vivebat, in tua Curia fuit manifestè confessus, à paucis citra temporibus maligno ductus spiritu, in magnum contemptum, præjudicium, & injuriam non solum præfate Narbonensis Ecclesie, verum etiam aliarum Ecclesiarum totius provincie Narbonensis, à te recognovit in feudum, & in damnationis sue cumulum & evidentius sæpèdictæ Narbonensis Ecclesie nocumentum non solum ea à te, ut prædicitur, recognovit, sed, ut Gallicano utamur vocabulo, advoavit, immo etiam ea à dicto Archiepiscopo & Ecclesia Narbonensi deavoavit expressè. Fili carissime, talia mentem nostram amaricant & perturbant, & ut ad apponenda remedia convertamur excitant & instigant; nec possumus nec debemus tam grandia detrimenta ac exheredationem quandam Narbonensis Ecclesie supradictæ sub dissimulatione transire, nec talia pati debuerat dignitatis regie reëctitudo & prudentia circumspècta. Et infra: Nos nihilominus, ne tantum dispendium memoratæ Narbonensis Ecclesie transeat impunitum, nève aliis præbeat exemplum tam nefanda similia attentandi, contra Almaricum ipsum & alios quos negotium istud contingit ex officio nostro & de apostolica plenitudine potestatis deliberavimus procedere summarie de plano sine strepitu & figura iudicij, prout iustitia exiget & videbimus expedire, ipsùmque Almaricum mandamus sub certa forma ad nostram presentiam evocari. Adnotat deinde Raynaldus ex Registro Benedicti XI. viguisse istam controversiam vivo Bonifacio, illùmque Narbonensi Archiepiscopo sub gravissimis pœnis prohibuisse ne ullam con-

cordiam iniret inconsulta sede apostolica. E vivis autem erepto Bonifacio, cum Benedictus XI. ad pacandas discordias incumberet, Amalricum profectum esse se Vicecomitatu Narbonensi potiri beneficio Ecclesie Narbonensis, Archiepiscopum verò Regi Philippo fidem suam adstrinxisse solenni iurando. Vide Raynaldum ad annum 1300. §. 29. & 1304. §. 9.

In eadem synodo editum est Decretum de celebratione diei festi sancto Ludovico Regi Francorum, ut fidem facit Johannes Episcopus Carcassonnensis in suis constitutionibus synodalibus editis anno MCCXCIX. die Jovis ante festum beati Andreæ Apostoli. *Item precipimus observari statuta sive consilia de novo edita in Concilio Biterrensi, & specialiter illud in quo continetur de festo duplici beati Ludovici die statuto in singulis Ecclesiis celebrando.*

CONCILIUM BITERRENSE

Habitu anno MCCCLI.

HUIC Concilio Biterrensi præfuit Petrus de Judicia Narbonensis Archiepiscopus, sororis Papæ Clementis VI. filius, qui etiam præfuit Concilio Vaurenfi trium provinciarum anno MCCCLXVIII. & Narbonensi anno MCCCLXXIV. Ut non injuria dici possit, quemadmodum celebratissimus ille Osius Cordubensis in Hispania Episcopus, præfès Conciliorum. Hunc ego Petrum reperio magnum virum fuisse per eas tempestates. Itaque cum ejus historia valde obscura sit apud scriptores historia-

rum, operæ pretium me facturum putavi, si heic originem ejus & vitæ acta recenseam. Petrus ergo de Judicia, vulgò *la Fugie*, natus est in vico de Judicia prope vicum Rosariorum in diœcesi Lemoicensi, haud procul à loco in quo Clemens avunculus natus erat. Fuit primùm monachus Benedictinus, inde Prior sanctæ Liberatæ in diœcesi Agennensi, tum ab avunculo factus Angeliacensis Abbas anno MCCCXLII. xv. Kal. Augusti, & Crassensis in Gallia Narbonensi anno MCCCXLIII. pridie Nonas Februarij. Post quæ Aureliam profectus permisso avunculi, illic dedit operam juri canonico perdificendo usque ad annum MCCCXLIV. quo Avenionem evocatus à Clemente, Archiepiscopus Cæsaraugustanus factus est vi. Nonas Martij. Ex illa deinde cathedra transiit ad Narbonensem anno MCCCXLVI. iv. Idus Januarij, tum ab ista ad Rothomagensem anno MCCCCLXXV. vi. Kal. Septembris. In quo illud magnoperè notandum est, quòd cùm Petrus abisset à comitatu Regis Francorum, Karolus V. ex peculiari gratia ei concessit ut juramentum fidelitatis per procuratorem præstaret; ut in prima parte præfationis de jure regalie Ruzeus adnotat ex Bulla Gregorij XI. quæ edita est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. xvi. §. xli. Anno demum MCCCCLXXV. die xx. Decembris Gregorius eum creavit Presbyterum Cardinalem Tituli sancti Clementis. Semper tamen dictus est Cardinalis Narbonensis, ob hoc nimirum, quia per diu fuerat Ecclesiæ Narbonensis antistes. Anno MCCCCLXXVI. comitatus est Gregorium XI. in Italiam proficiscentem. In quo comitatu adeo exagritatus est à mari, ut in morbum inciderit in loco de Liburna Pisana diœceseos, ubi testamentum condidit die xv. Novembris; atque inde transiit

Pifas in palatium archiepiscopale, illic codicillos confecit die xviii. ejusdem mensis, ac triduo post excessit ex hac vita anno ætatis LVII. Corpus ejus in Ecclesia Pisana depositum est, ac dein ad Narbonensem translatum, ubi sepultus est in magnifico sepulchro quod sibi vivens fecerat ex marmore candido; cui sepulchro superimposita est marmorea Petri effigies, & in lateribus efficta gentilitia ejus insignia multum diversa ab iis quæ vulgò circumferuntur.

Hugo electus Episcopus Biterrensis, quem proximis literis Petrus evocat ad Concilium, fuit ejusdem Petri frater, tum Thesaurarius Ecclesiæ Turonensis, factus autem Episcopus Biterrensis à Clemente avunculo literis datis Avenioni III. Idus Decembris anno MCCCXLIX. Adnotat autem Petrus Andoquius in Catalogo Episcoporum Biterrensi, Hugonem, tametsi Biterris consisteret, nonnisi præsentiam suam exhibere in synodo, quòd prærogativam sedis affectaret super omnes Episcopos provinciæ Narbonensis, quamvis ordinatione antiquiores. Prætendebat Ecclesiam in divisione provinciarum ac dioceseon sese accommodasse ad formam imperij Romani, sedemque Primatis seu Metropolitanæ fixisse in ea civitate in qua Procon-sul sedem suam habebat. Hunc etiam ordinem servatum fuisse erga suffraganeos Episcopos. Porro secundam Romanorum in Galliis coloniam, apud Biterras constitutam esse, ideòq; secundum Episcopo Biterrensi locum debere esse inter comprovinciales. Allegabat etiam antiquitatem sedis suæ, quæ ipsis Apostolorum temporibus fundata fuerat, statim post Narbonensem. Quòd si, ut constabat, sanctus Aphrodisius fuerat secundus Christianus qui in provinciam penetrasset, æquum esse ut Ecclesia ab

illo fundata sit secunda, ejusque Episcopo deberi secundum locum in Conciliis provincialibus, immediate post Primatem. Sanè in omnibus vetustis Notitiis, post Narbonem ponitur Tolosa, dein Biterræ, tum reliquæ civitates primæ Narbonensis. Sed cum Tolosa tum distracta esset, poterat eo colore uti Episcopus Biterrensis, quod primus sibi locus deberetur post distractum episcopatum Tolosanum. Addit Andoquius, comprovinciales Episcopos noluisse cedere, & Hugonem abstinuisse se à conventu. Vide etiam Petrum Gariellum in Historia Episcoporum Magalonensium, qui hanc ipsam controversiam recitat.

Helias Episcopus Ucticensis, qui synodo interfuit, vocabatur de sancto Aredio, natus apud Lemovices, monachus ordinis sancti Benedicti, & Abbas sancti Florentij Salmuriensis, factus demum Cardinalis Presbyter Tituli sancti Stephani in Cælio monte ab Innocentio VI. anno mccccxvi. x. Kal. Januarij, & Episcopus Ostiensis anno mccccxiii. post mortem Audoyni Alberti. Mortuus anno mccccxvii. die decima Maij, ac sepultus Avenione in Ecclesia cathedrali. Falluntur enim qui eum apud Franciscanos Avenionenses sepultum tradunt. Qui error ex eo profectus est, quod Heliam istum confundant cum Helia de Nabilano Presbytero Cardinale Tituli sancti Vitalis. Ceterum hic notiter Helias anno mccccxvii. delegatus fuit ab Innocentio VI. cum quibusdam aliis Cardinalibus, ut cognosceret de causa Richardi Archiepiscopi Almachani, qui privilegia ordinum mendicantium validè exagitabat.

Johannes Episcopus Nemaufensis, qui Concilio item interfuit, vocabatur de Blandiaco, natus in diocesi Ucticensi. Fuit Capellanus Clementis VI.

à quo factus est Episcopus Nemaufensis post Ber-
trandum tunc defunctum literis datis Avenioni xv.
Kalendas Octobris anno MCCCXLVIII. qua
exant in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Un-
de patet errare eos qui Johannem ad eam cathe-
dram pervenisse volunt anno tantum MCCCL. me-
diòsque inter illum & Bertrandum collocant Pau-
lum & Jacobum de Deucio, qui hinc removendi
sunt. Creatus Presbyter Cardinalis Tituli sancti
Marci ab Innocentio VI. anno MCCCLXI. xv. Kal.
Octobris, dictus semper Cardinalis Nemaufensis.

Ceterum hujus Biterrensis Concilij canones
sunt valde mendosi ac muti in codice MS. Ec-
clesiæ Helenensis, unde eduntur. Sed præstat ea sic
depravata ac muti habere, quam his carere, Emen-
dari autem facillè possunt ope canonum Concilij
Avenionensis habiti anno MCCCXXXVII.

CONCILIUM VAVRENSIS

Habitu anno MCCCLXVIII.

URBANUS V. Pontifex Romanus restituendæ
veteri disciplinæ ecclesiasticæ valde intentus,
non alia seu meliori seu faciliore ratione id fieri
posse putavit, quam si Conciliorum provincialium
celebratio revocaretur in Ecclesiam. Ea de causa li-
teras quaquaversum scripsit ad Metropolitanos, ut
eos excitaret hortareturque ad resumendum mo-
dum celebrandi Concilia suarum provinciarum;
stantque adhuc plurima Concilia per eas tempe-
rates habita in variis regionibus, in quibus de re-
formatione morum præcipuè actum fuisse animad-
verto. Inter ceteros verò Metropolitanos ad quos ea

de re scripsit, Narbonensem non omisit, virum magnæ tum famæ, & qui nobilissimæ provinciæ præsidebat. Fuit huic viro erectum ac sublime ingenium, tum etiam magna cura restituendi pristinos honores Metropolitanorum. Intravit itaque in animû ejus illa pulcherrima cogitatio, rem magni exempli plurimæque auctoritatis ac dignitatis se esse facturum, si quemadmodum Gasbertus prædecessor suus, quum Arelatensi cathedræ præsidebat, duo Concilia celebraverat ad quæ convenire procuraverat etiam Metropolitanos & Episcopos provinciarum Ebredunensis & Aquensis, (quod observatum etiam fuerat in nuperrimo Concilio Aptensi) ita ipse synodum cogeret ex conterminis provinciis Tolosana & Auscensi, fieretque Concilium generale trium provinciarum. Et primò tentavit Gaffredum Archiepiscopum Tolosanum, utpote viciniorum, ac nuper distractum à provincia Narbonensi. Et is quidem facilè consensit, suctus obsequii desiderii Archiepiscopi Narbonensis, cujus suffraganeus non ita pridem fuerat, ex Carcassonensi cathedra translatus ad Tolosanam. Quia verò per illa tempora persuasum vulgò erat non licere Episcopis diversarum provinciarum convenire ad celebrandum Concilium absque permisso Romani Pontificis, Petrus Narbonensis Archiepiscopus ad Urbanum ea de re scripsit, ut consensum ejus eliceret, ac facilè impetravit. Eadem facilitate Arnaldus Auscensis Archiepiscopus in partes tractus, Episcopos suæ provinciæ convenire jussit ad Concilium istud Vaurense, eique vice sua interesse Philippum Abbatem Soricini. In quo illud interim adnotandum est, hunc Abbatem, quòd Vicarius esset Archiepiscopi Auscensis, tertium ubique locum obtinuisse in Concilio supra cunctos Episcopos, ne

mine repugnante. Ceterum, istius Concilij canones magna ex parte sumpti sunt ex duobus Conciliis quæ à Gasberto Arelatensi Archiepiscopo habitata sunt apud Avenionem, in prioratu sancti Ruffi, annis MCCCXXVI. & MCCCXXXVII.

GAFREDUS THOLOS.] Fuerat ille antea, uti dicebamus, Episcopus Carcassonensis, ad Tolosanam cathedram translatus auctoritate Innocentij VI. anno MCCCLXI. VI. Idus Martij, cum ea sedes vacaret per mortem Stephani Archiepiscopi Tolosani. Hunc autem Gaffredum fuisse ortum ex nobili familia Vairoliorum apud Cadurcos valde puto. Obiit autem anno MCCCLXXVI. die decima mensis Martij, ut patet ex Necrologio Ecclesiæ Tolosanæ.

ARNALDI AUXITAN.] cognomento Alberti, qui fuit filius fratris Innocentij VI. Romani Pontificis, antea Episcopus Agathensis & Carcassonensis, demum Ausciensis Archiepiscopus creatus anno MCCCLV. die XVI. Januarij, ut fidem faciunt veteres membranæ Ecclesiæ Ausciensis. Anno MCCCLX. cum Stephanus Archiepiscopus Tolosanus, qui S. R. E. Camerarius erat, in fata concessisset, Arnaldus factus est Camerarius. Post sex deinde annos iussu Urbani V. adornavit breviarium seu collectionem omnium privilegiorum Romanæ Ecclesiæ concessorum, tam ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, quàm etiam ab aliis, quæ Avenione extabant in Palatio Papæ; ut docet præfatio ejusdem Collectionis in codice Collegij Fuxensis, quem olim Tolosæ vidimus, quæ sic habet. *In nomine sanctæ & individue Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen. Anno à nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, die vigesima septima mensis Junij, pontifi-*
d iij

catus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Domini Urbani divina providentia Papa quinti anno quarto, Reverendissimus in Christo Pater Dominus Arnaldus eadem gratia Auxitanensis Archiepiscopus, dicti Domini Papae Camerarius, viva vocis oraculo sibi facto hoc opus fieri & compilarari fecit per certos ipsius Domini Papae scriptores, de diversis privilegiis, instrumentis, & scripturis Sanctam Romanam Ecclesiam tangentibus, in Palatio Domini Papae videlicet Avinione inventis. Continet autem hic codex ccxxiii. folia. Anno sequenti eadem de causa profectus in Italiam iussu Urbani, quamplurimas civitates jurejurando adegit profiteri esse & debere esse de dominio mero & mixto imperio Domini Papae & Ecclesiae Romanae, ab earumque iudicis & procuratoribus ob eam causam suscepit reverentiam & obedientiam debitam & devotam. Extat istarum rerum testis fidelis vetus codex MS. in bibliotheca illustrissimi viri Johannis Baptistae Colberti, ex quo intelligimus ista quoque, ut superiorem collectionem, Arnaldo mandata ab Urbano fuisse viva vocis oraculo. Nam haec in ipso statim initio leguntur: Anno Domini mcccclxvii. die xxi. mensis Iunii, in Viterbio, in palatio apostolico, Iohannes Amatoris &c. Et paulo post: Vobis Reverendissimo in Christo Patri & Domino Domino Arnaldo miseratione divina Archiepiscopo Auxitanensi, Domini Papae Camerario, Commissario ad infra scripta per Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum Nostrum Dominum Urbanum divina providentia Papam quintum viva vocis oraculo specialiter deputato, ego Iohannes Amatoris civitatis Verulanensis iudicis & procurator communis ac universitatis populi & hominum praedictae civitatis Verulanensis &c. Mansit autem in Italia sa-

tis diu noster Arnaldus, & anno MCCCLXIX. Romæ
 aderat quando Iohannes Palæologus Imperator
 Orientis ejuravit schisma Græcorum; & adhuc an-
 no MCCCLXX. erat in Italia, ut patet ex eodem ve-
 teri codice Colbertino. Tandem reversus in Gal-
 liam, anno sequenti obiit apud Borbonium in diœ-
 cesi Avenionensi die undecima Junij, & apud Car-
 thufianos Villæ-novæ sepultus est, ut docent
 membranę quas diximus Ecclesiæ Ausciensis. Ex
 his quæ dicta sunt facile quivis intelliget non po-
 tuisse Arnaldum interesse Concilio Vaurenfi, ut
 qui longo terrarum intervallo discretus esset à
 Gallia Narbonensi, adeoque necessarium fuisse ut
 vices suas alij cuipiam committeret.

I. CARCASSON.] cognomento Fabra, Epif-
 copo antea Dertusensi in provincia Tarraconensi, ad
 Carcassonensem translato anno MCCCLXII. literis In-
 nocentij VI. datis Avenione 14. Idus Ianuarij. Factus
 autem fuerat Episcopus Dertusensis anno MCCCLVII.
 die xxvii. Martij. Vivebat adhuc anno MCCCLXIX.
 die x. Junij; ut patet ex ejus literis de conservatio-
 ne bonorum Collegij sancti Martialis quod apud
 Tolosam fundavit idem Innocentius sextus, quæ
 extant in archivo ejusdem Collegij.

B. CONVENARUM] Vocabatur Bertran-
 dus de Cosnaco, oriundus è diœcesi Lemovicensi,
 haud procul Briva oppido, factus Episcopus Con-
 venarum anno MCCCLIV. ut docet Arnaldus Ohie-
 nartus in Notitia Vasconiæ. Hunc Papa Urbanus
 V. in Hispaniam misit ut concordiam revocari procu-
 raret inter Reges Castellæ, Arragoniæ, Lusitaniæ,
 & Navarræ; ac mortuo interim Urbano, Grego-
 rius XI. in eodem munere permanere jussit; ut
 docet Hieronymus Surita in libro x. Annalium
 Aragoniæ cap. xlii. Quo tempore, licet absens,
 d iiij

creatus est Cardinalis a Gregorio anno MCCCXXXI, VI. Idus Iunij; ac tamen moris non esset (quem admodum etiam colligitur ex epistola Innocentij VI. ad Petrum Regem Aragonum, quæ edita est à Raynaldo ad an. 1356. §. 41.) ut pileus rubeus cuiquam nisi pontificia manu daretur, illum tamen Gregorius ad Bertrandum misit per Annaldum Andree Subdiaconum Burdegalensem; ut docent ejusdem Gregorij literæ ad eum scriptæ, quæ in omnium manibus versantur. Causam autem mittendi ad Bertrandum pilei hanc præcipuam assignat Gregorius in eisdem literis, quòd de mandato sedis apostolicæ in remotis partibus pro arduis & publicis negotiis immoraretur, & ut ex pilei illius acceptione ampliùs honoraretur à Principibus ad quos missus erat. Has porrò mittendi ad absentem pilei justas tum causas fuisse visas docet auctor illorum temporum, qui non ita multò post Clementis VI. pontificatum edidit vetus ceremoniale in quo continentur *ceremonia & sollempnitates solite servari in creatione novorum Cardinalium*, quod extat manuscriptum in Bibliotheca Regia. Ait ergo auctor ille: *Regulariter autem Cardinali novo absentis capellus rubeus per Dominum Papam non mittitur. Interdum tamen de gratia speciali mitti ei per Dominum Papam consuevit, quando antea missus Legatus vel Nuncius per eum fuerat pro pace inter Reges vel Regem & Principes tractanda & consummanda, ad finem quòd ipse Cardinalis per ipsos in majori reverentiâ habeatur, & ad pacem ex hoc meliùs & faciliùs inducatur.* Quia verò moris quoque non erat ut Titulus cardinalitius daretur absentibus, Bertrandus Titulo caruit aliquandiu. Sed tandem cùm venisset Avenionem, Titulum accepit sancti Marcelli; ut colligitur ex testamento Gregorij XI. quod editum est in tomo

sexto Spicilegij Dacheriani. Semper tamen vocatus est Cardinalis Convenarum, pro more illius seculi; ut colligitur ex eodem Gregorij testamento, ex Concordia de qua mox dicemus, & ex Iohanne Mariana. Illo porrò tempore quo Nuncium apostolicæ sedis agebat in Hispania, sedavit graves controversias quæ erant inter Petrum Regem Aragonum & Clerum Catalonia, occasione immunitatum ecclesiasticarum, quas à Rege violari contendebant Archiepiscopus Tarraconensis & ceteri Prælati illius provinciæ. Extat adhuc illa Concordia, inita Barcinone anno MCCCCLXXII. inter Cardinalem Convenarum & Eleonoram Regis uxorem, penes quam potiùs quàm penes maritum inerat vis imperij. Tanta autem est etiamnum illius Concordiæ auctoritas, ut hodiè que observetur in Catalonia, & in volumine Constitutionum sive juris municipalis illius provinciæ ferè tota descripta sit, è Latina lingua in Catalanicam versa. Verùm quoniam hæc hactenus non prodiit integra, neque ea lingua qua fuit edita, & utilis etiam esse potest in aliis regionibus, operæ pretium puto me facturum, si hæc eam edidero in appendice actorum veterum. Ceterùm illud etiam admonendum est, graviter errare eos qui Bertrandum hunc de Cosnaco confundunt cum Bertrando de Chanaco Cardinale Clementis septimi. Nam Chanacorum gens valde diversa fuit à Cosnaca, tametsi utraque fuerit Lemovicensis. Erratum autem est in literis indulgentiæ concessæ à Patribus Concilij Vaurensis anni MCCCCLXVIII. quam edidimus post statuta illius Concilij, ubi Episcopus iste Convenarum vocatur Bernardus, cum scribi debuisset Bertrandus. Sed sequi volumus editionem Catelli, qui hanc indulgentiam emisit in lucem.

CAP. LXI.

Quod heic statuitur de Capella quam quilibet Episcopus Ecclesiæ suæ donare tenetur, repetitum deinde fuit in capite IX. Concilij quod anno MCCCLXXIV. apud Narbonem habuit Petrus Archiepiscopus Narbonensis, & hætenus in universa Occitania observatur. Eo porrò, ut arbitror, exemplo excitatus Ennecus Valterra Tarraconensis Episcopus, in Concilio Tarraconensi habito anno MCCCXCI. edixit ut quilibet Episcopus provinciæ Tarraconensis donet Ecclesiæ suæ cathedrali unam Capellam de panno serico, vel de auro, saltem valentem trecentos florenos, vel trecentos florenos deponat. Extat decretum illud Concilij Tarraconensis. Sed præterea illius mentio extat in Statutis Ecclesiæ Barcinonensis, quæ apud nos extant in veteri codice manuscripto, edita in Capitulo generali anno MCCCXXIII. à Francisco Clementis Patriarcha Hierosolymitano Episcopoque & Administratore perpetuo sedis & Ecclesiæ Barcinonensis; ut patet ex capite VIII. eorundem Statutorum, quod descriptum reperies, lector, in appendice actorum veterum.

CAP. LXVI.

Decretalis constitutio Bonifacij VIII. cujus mentionem faciunt hoc loco Patres Concilij Vaurenfis, non extat inter constitutiones Bonifacij, sed descripta est in Clementina *Dudum*. de sepulturis.

CAP. LXXXIX.

Ex hoc capite videtur colligi, multos per ea tempora carnibus uti solitos diebus jejuniorum ac quadragesimæ, etiam citra infirmitatem aut aliam gravem causam, modò accederet Confessariorum con-

sensus & auctoritas, ea fortassis de causa, quòd putarent jejunium non in carniū abstinentia positum esse, sed in sobrietate & temperantia. Verum quia difficilis est moderatio inter delicias carniū, Ecclesia prudenter decrevit uti Christiani à carnibus omnino abstinerent diebus jejuniorum & quadragesimæ, tum etiam multis aliis anni diebus.

C A P. C X X X I I I.

PETRO DE SORTENACO] qui dein à Gregorio XI. factus est Cardinalis. Fuit autem patria Cadurcensis; ut fidem facit vetus scriptor vitæ ejusdem Gregorij, itémque Jacobus de Sena in Facto edito in causa schismatis. Falluntur enim vehementer qui putant illum esse ortum ex profapia de Vignone dominorum Cercenaschi oppidi inter Alpes & Taurinum. Falluntur etiam qui Cardinalem Vivariensem ob hoc dictum putant, quòd fuerit patria Vivariensis. Quod intrepidè scriptum video à nonnullis. Sed is vocatus est Cardinalis Vivariensis, pro more illius seculi, quia Episcopus Vivariensis erat eo tempore quo factus est Cardinalis.

PETRO DE VERNHIO.] Tutelensis iste fuit, ut docet idem scriptor vitæ Gregorij. Canonicum Narbonensem fuisse probat hic locus Concilij Vauvrentis, Dein Archidiaconus Rothomagensis, ac Gregorij XI. Referendarius, sacrique Palatij causarum Auditor, & Cardinalis ab eodem Gregorio factus est. Eo factis functo, in partes Clementis VII. transgressus est, electionique Benedicti XIII. interfuit anno mcccxciv. Sed hunc tamen in generali subtractione obedientiæ deseruit anno mcccxcviii. ut docet Surita in libro tertio Indicum. Obiit anno mccccliii. die sexta Octobris, quemadmodum scribit Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.

AMELIO DE LAUTRECO.] Episcopo
postea Convenarum, Cardinale creato à Clemente
VII. anno MCCCLXXXV. die XII. mensis Julij.

CONCILIVM NARBONENSE

Habitu anno MCCCLXXIV.

CONCILII istius Narbonensis canones descripti sunt ut plurimum ex superioribus Conciliis à Petro Archiepiscopo Narbonensi celebratis, neque Notis nostris indigent. Illud tantum admonere sufficiat, ex epistolis Gregorij XI. heic insertis colligi illum existimasse necessariam esse Conciliorum provincialium celebrationem ad conservandam disciplinam ecclesiasticam morésque Christianorum informandos.

CONCILIVM AVENIONENSE.

GASBERTUS de Bellania Arelatensis Archiepiscopus, qui Concilio præsidebat, Iohannis XXII. conterraneus fuit, natus in parœcia sancti Petri de Dunzaco apud Cadurcos. Hunc idem Iohannes Episcopum Massiliensem creavit. Falluntur enim qui Gasbertum anno MCCXIV. cathedram Massiliensem tenuisse putant. Nam anno MCCXVII. mense Majo Raymundus erat Episcopus Massiliensis; ut patet ex Sententia Michaëlis Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Arelatensi, Aquensi, & Ebreduensi provinciis ab apostolica sede deputati, data adversus quosdam hæreticos apud Massiliam eo anno combustos, quæ exstat in veteri codice MS.

Illustrissimi viri Iohannis Baptistæ Colberti. Per ea tempora Gasbertus factus est etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, ac dein Archiepiscopus Arelatensis anno MCCCXXIII. ut Saxius scribit. Anno MCCCXXVI. mense Iunio præfuit Concilio apud Avenionem habito in prioratu sancti Ruffi. Unde facile colligimus errare eos qui Gasbertum Arelatensem Archiepiscopum evasisse putant anno MCCCXXVIII. Tum anno MCCCXXVII. isti quoque Avenionensi Concilio præfuit. Anno MCCCXL. translatus est ad Ecclesiam Narbonensem, & biennio post in Tolosana urbe fundavit Collegium Narbonense vulgò dictum pro alendis duodecim pauperibus scholasticis, quorum duo essent Presbyteri. Et cum maximè cuperet uti Presbyteris illis eorumque successoribus in perpetuum fas esset audire confessiones collegarum, eisque administrare sacramenta ecclesiastica, possètque istiusmodi privilegium à Romana Curia petere, quæ in vicino consistebat, maluit tamen sequi antiquum morem, omisâque Romani Pontificis auctoritate, ad Archiepiscopum Tolosanum, qui tum erat Guilielmus de Lauduno, se convertit. Ille verò Gasberti votis annuendum ratus, eisdem Presbyteris potestatem æterna lege fecit audiendi confessiones eorundem scholarium, eisque administranda sacramenta ecclesiastica; ut patet ex literis Guilielmi, quas nunc primùm edidit in appendice actorum veterum. Gasbertus verò mortuus est Avenione anno MCCCXLVI. successorémque eodem anno habuit Petrum de Iudicia IV. Idus Ianuarij. Sed illud hoc loco adnotandum est, canones istius Concilij Avenionensis magna ex parte sumptos esse ex superiore Concilio Avenionensi, descriptos autem fuisse etiam magna ex parte in Conciliis à Petro de Iudicia celebratis.

BERTRANDUS EBREDUNENSIS.] cog-
nomento de Deucio, ortus è castro de Blandiaco in
diœcesi Ucticensi, factus Archiepiscopus Ebredu-
nensis anno mcccxxiii. ut docent Sammarthani. Eum
Benedictus XII. Presbyterum Cardinalem Tituli
sancti Marci creavit anno mcccxxxviii. die xviii. De-
cembris. Tandem factus est Episcopus Sabinensis &
S. R. E. Vicecancellarius, obiitque Avenioni anno
mccclv. ibidémque sepultus est apud Carthusianos.

PHILIPPO CAVALLICENSI] Vocabatur
Philippus Cabassole, Cavellicensis Episcopus, &
Cancellarius Iohannæ Reginae Neapolitanæ. *Ray-
naldus ad an. 1344. §. 30.* Anno mcccxliv. iv. Kal.
Maij à Clemente vi. delegatus est ut inducias inter
Massilienses & alias Provinciæ & Comitatus Forkal-
querij urbes adversùs ipsos fœderatas promulgaret.
Idem ad an. 1349. §. 10. Per eas tempestates scripsit
libros suos de vita & miraculis beatæ Mariæ Magda-
lenæ, dicatos Henrico de Villars Archiepiscopo
Lugdunensi Galliarum Primati; in quibus multum
exagitat monachos Vezeliacenses, quòd auderent
dicere corpus eiusdem Magdalenæ existere apud Ve-
zeliacum. Extat hoc Philippi opus in bibliotheca
sancti Victoris Parisiensis. Apostolicæ sedis Nuncius
anno mcccclix. Unde colligitur de illo intelligenda
esse quæ de Episcopo Cavallicensi sedis apostolicæ
Legato, habet Nicolaus Serarius in libro quinto re-
rum Moguntiacarum pag. 858. Fuit postea Philip-
pus Patriarcha Hierosolymitanus, & Presbyter Car-
dinalis Tituli sanctorum Marcellini & Petri, ac
demum Episcopus Sabinensis, obiitque anno
mccclxxii. Vide Sammarthanos in catalogo Episco-
porum Cavallionensium. Testamentum eius editum
est à clarissimo viro Francisco Duchesnio in *Historia
Cardinalium Gallorum.*

FINIS NOTARUM.